





Maguntiae.

1710.

1. Wagnerus, Georgius Josephus : De laudo.

1717.

1. Hahn, Joannes Philippus : Disputatio juridica  
ad leges damnatas, cum intermissa contentia  
problematica.

1737.

1. Kraus, Joannes Valentinus : De decimis novalesium.

1740.

1. Kraus, Joannes Valentinus : De possessione catholica.

1745.

1. Neureuter, Joannes Georg : De jure capituli Magunt.  
hinc circa directorium in comitibus sede Magun-  
tina vacante.

1746.

1. Neureuter, Joannes Georg : Specimen juris nationis  
de jure requisitibus finibus.

1744.

1. Vahn, Johannes Michael: De prorege dilecti Caesaris  
his ex inconsulta linguae lubricitate
2. Vahn, Joannes Michael: De jure comitiarum  
imperii circa sacra.

1748.

1. Nurember, Joann. Georg: De eo, quod justum est  
circa exemplationem rerum principum a rectoribus  
gestus

1750.

1. Vahn, Joannes Michael: De necessitate informacionis  
in recurrentibus et comitiis imperii  
a superioribus Germaniae tribunalibus exigenda  
sac. dae.

ea  
L  
ti  
m  
i  
u



1777  
Fol. 100  
Fol. 101  
Fol. 102  
Fol. 103  
Fol. 104

1778  
Fol. 105  
Fol. 106  
Fol. 107  
Fol. 108  
Fol. 109  
Fol. 110

1779  
Fol. 111  
Fol. 112  
Fol. 113  
Fol. 114  
Fol. 115  
Fol. 116









JOANNIS PHILIPPI HAHN, J<sup>C</sup>ti, <sup>302.</sup>  
VARIOR. ELECT. AC PRINC. IMPER. CONSILIARII AULICI,  
PROFESSORIS, ET COMITIS PALATINI CÆSAREI

DISPUTATIO JURIDICA <sup>669</sup>  
AD <sup>2</sup>  
LEGES <sup>1777. 1. //</sup>  
DAMNATAS,

CUM INTERMIXTA  
CENTURIA PROBLEMATUM  
EX OMNI, QUOD PRODITUM EST,  
JURE, NATURÆ SCIL. ET GENTIUM, POLITICO,  
CANONICO, CIVILI, PUBLICO, FEUDALI,  
CRIMINALI, ET CAMERALI.

AB EODEM DIE XV. JANUAR. ANN. MDCC XVII. MOGUNTIE

PRO GRADU LICENTIÆ

PUBLICÆ HABITA,  
OB EJUSDEM RARITATEM ET MULTORUM  
PETITIONEM DENUO TYPIS  
VULGATA,

CUM SUBJUNCTA ENIGMATUM JURIDICORUM MANTISSA.

M DCC XLVIII.

MOGUNTIÆ,

EX TYPOGRAPH. ELECTOR. AULIC. ACADEM. PRIVIL. APUD  
JOANNEM HÆFFNER.

JOHANNIS PHILIPPI HAHN, JOH.  
VARIOR. LEGIT. AC PRINC. MBER. C. N. S. I. A. R. I. A. A. U. L. I. C. I.  
PROFESSORIS, ET DOMINUS T. A. L. I. A. N. T. I. C. A. R. I. I.

DISPUTATIO JURIDICA

AD

LEGES

DAMNATAS

CUM EXPLICITA

CENSURIA PROHEMATUM

IN OMNI, QUOD PRODUIT, EST,

JURIS NATURE SCIENTIA ET POLITICO,  
CANONICO, CIVILI, PUBLICO, RUDALI,  
CRIMINALI, ET CAMERALI.

AB EODEM DIE XVI. JANUARII ANNI MDCCXXVII. MDCCLXXVII.

PRO GRADU LICENTIAE

FOROGE HABITA

OB EUSDEM RARITATEM ET MULTITUDINEM  
PETITIONUM DIVERSI TYPIS


AUGMENTATA

CUM REDDITUR AMPLIATEM JURISDICTIONUM ALIQUANTUM

IN DCC. XLVIII.

MDCCXXVII.

EX THEOPH. ELICTOR. ACADEM. PRIVIL. APTIS  
JOANNEM HAHNEM



ex aqua juris antiqui & fontibus de veteri iuris negotio  
 hunc. Scilicet. Moyses. die. 17. 1748.

## PRÆFATIO.

**J**urisprudentiam nostram seu potius LL. Civiles multis difficultatibus immersas esse, nemo est, qui eat inficias, idque omnium probationum loco, Leges aliquot intricatissimæ & ob id nomen DAMNATARUM (quas & alii CRUCES JCTORUM nuncupant) facis superque demonstrant. Duodenum earum numerum statuit Glossa, juxta versus in mox sequenti Prothesi recensitos. Quod & Cornelius van Eck in *Commentat. de septem damnatis LL. Pandectarum* sentire videtur, dum, ceu ex versibus videre est, quinque Leges Cod. iis admixtæ deprehenduntur. Verùm miror, ab Eckio *L. 96. pro socio. L. 5. de naut. fœn. & l. 8. de eo, quod certo loc. loco leg. 19. de inoff. testam. l. 41. de R. C. & l. 3. de off. Prætor.* pro talibus agnitas fuisse, cum tamen antiqua illa Glossa, *dd.*

PRO-

A 2

versuum

versuum author, ipsi ignota vix esse potuerit. Caterum mantissæ loco Difficultates aliquot nodo Gordio intricatiores, quas ænigmata vocamus, adjecimus, quarum solutio in Collegiis *vostriis* partim ex prolixiori dilucidatione, partim verò ex notitia juris antiqui è fontibus derivata, facili negotio obtinetur. Scrib. Moguntia die 7. Aug. 1748.

PRÆFATIO

J. Unspründentum nostram seu Pontis LL. Civiles multo  
 difficultatibus inveniuntur, quæ in eas indagand  
 idque ad illud quod aliis inveniuntur  
 casus & alii Civ  
 ces JCTORUM  
 denum earum  
 sed noni Probeni reconstruend. Quod et Cornelius van Eck  
 in Commentar. de Repub. hanc LL. Pandectarum sententia vi  
 detur, dicit, cum ex veribus videre est, quinquæ Leges  
 Cod. his adhibere deprehenduntur. Verum minor, ab Eckio  
 I. de pro socio. L. i. de man. serv. §. l. de eo, quod capi  
 loc. loco leg. de inst. testam. L. de R. C. §. l. de off. Praev.  
 pro talibus agrarias sunt, cum tamen antiqua illa Glossæ, de  
 verum  
 A 2  
 PRO-



PROTHESIS  
DE  
NATURA LEGUM DAMNATARUM,  
ET INSTITUTI.

**S**unt quaedam Leges Juris nostri concordī Doctorum calculo in exhaustis propè difficultatibus, fecundæ adeo, ut in genuino earum sensu aperiendo hucusque penetrantissima] Ctorum ingenia laborarint, non elaborarint; Sed vel solâ hac suâ fere prodigiôsâ opinionum discordantium congerie *Damnatarum* prædicato easdem maclârint. Eæque expressæ sunt sequentib; versibus:

*Damnatur Mater. (a) damnatur Lectaque. (b) Frater. (c)*

*Damnatur Gallus. (d) damnatur Filius. (e) Ejus. (f)*

*Lex Vinum. (g) famosa est Lex, Lex Non dubiumque (b)*

L. Quo-

(a) L. 19. de inoff. testam. (b) l. 40. de R. C. (c) l. 38. de condict. indeb. (d) l. 29. de Lib. & posthum. (e) l. 24. C. Famil. ercisc. [non autem, juxta quosdam, dilucida lex 28. de liber. & postib. V. Horomann. ad d. l. 24.] (f) l. 41. de R. C. (g) l. 22. de R. C. (h) l. 5. C. de

L. Quories. (i) L. Rem. (k) L. Barbariusque Philippus (l)  
Lex Diffamari. (m) *petit illis associari.*

Quarum nativum intellectum, ne post tot Interpretum operosas commentationes nihil agere videamur, prævio semper *Casu*, deinde datis *rationibus dubitandi & decidendi*, modo simplici, & vel Justiniani novi captivi accommodato exhibere admitemur; sive ante à paucis Doctoribus intellectæ, *vid. infra Analys. 2.* Sive eas ignorantium numerus scientiæ Divinæ, juxta Cynum, fuerit relictus, *Zoë. in addit. ad tit. de præscr. verb.*

## ANALYSIS I.

*Ad L. Mater. 19. D. de inoffic. Testam.*

**L**Egis hujus perdifficilis CASUS est iste: Mater duas habens filias unam instituit in tribus unciiis, alteram præterit, & extraneum in reliquis novem unciiis scripsit hæredem, ac decessit. Filia scripta & extraneus adeunt hæreditatem, filia præterita egit de inofficioso, & obtinuit. **QUÆRITUR:** *Quomodo consulatur scriptæ? Utrum scil. illa ad partem virilem, an ad suam quadrantem, an ad nullam hæreditatis partem admittatur? Antequam respondeat JCrus, decidit præviè Questionem hanc: Quomodo (si quis forè putaverit, addit Azo, stultus, filla obtinente, totum testamentum infirmari) consulatur scriptæ? Et potest, inquit, videri, ei succurrendum non esse; quod adeundo ex testamento, videatur renunciâsse hæreditati ab intestato, atque ira filia præterita totum acceptura sit. Sed, ratione hac dubitandi non obstante, resolvit hanc hypothésin (quæ plurimam Legi huic nebulam offundit) dicendo: *Institutam, ab intestato posse adire hæreditatem, nec enim quæ ex testamento adit, quod putabat inexpugnabiliter valere, repudiare legitimam hæreditatem videtur esse.* Jam resoluta & rejecta hac hypothési, responderet ad *Questionem* principalem, quod præterita contra forem agens non audiatur, sed testamentum quoad extraneum infirmando, matrem pro parte tantum intestatam efficiat, subjicitque: *Et ideo ab extraneo senis vindicandus est.* Ubi exurgit dubium penè insalubile: *An non ergo pro tota dodrante contra extraneum rescissum est testamentum?**

C. de ll. (i) l. 15. C. de R. V. (k) l. 2. C. de resend. vendit. (l) l. 3. de Offic. Prætor. (m) l. 5. C. de ingen. manumiss.

mentum? Quod affirmat Glossa, indèque tenet, manere penes extraneum unum quadrantem irrevocabiliter. Et possit ita videri: namque nec præterita ab eo potest avocare, cum illam contentam esse oporteat suo semisse, ut dicitur *b. l. nec etiam instituta*: non enim (1) ex capite juris accrescendi, utpote quod non habet locum post aditam hæreditatem *l. 1. ff. de usufr. accresc.* Nec (2) ex capite victoriæ, seu everfi per querelam à præterita testamenti, nam hæc prodest soli victori *l. 16. l. 25. b. t. confer. Zoëf. ad b. t. n. 43.* Verùm hæc sententiâ liquiddò refragatur *Legi nostræ*, in verbis: *Dicendum, non esse similem omittenti, seu repudianti, eam, quæ ex testamento adiit.* Inferitur benè: ergo in casu hoc redacti quoad extraneum ad causam intestati testamenti tanq. ab intestato quadrantem illum petere potest; frustra enim alioquin contenderet J. C. scriptam adeundo non repudiâsse ab intestato. Respondet Glossa, cum longa Doctorum sequacium serie, loqui eum in casu, quo scripta passâ est, sororem præteritam contra se de facto agere, & totum expugnare testamentum, utpote debitè instituta. Sed immensum falluntur, ob verba *Legis* immediatè subsequentiâ: *Secundum quod non in totum testamentum infirmatur, sed pro parte intestata efficitur.* Obstant jam ediametraliter *d. l. 16. §. l. 25.* quarum Casus similis *Legis nostræ* est iste: Titia duos filios & unam filiam habens, uno filio instituto & altero exhæredato una cum sorore, decessit: filius exhæredatus querelam movit & obrinuit. *Queritur: Utrum sorori exhæredatæ querelam non moventi prosit?* Respondetur quod non. Rationem addit Zoës. *d. l. quod tantum pro parte rescindatur testamentum.* *Dicendum*, esse disparitatem, inter casum hunc & *Legis nostræ*: siquidem in casu *l. n.* filia scripta non potest querelare testamentum, utpote debitè instituta adeoque illi imputari nihil potest, nec ulli juri, quod nondum habet, renunciâsse dicenda est; in casu verdò *l. 16.* utriusque æqualiter competit querela, ergo cum non agat soror, repudiare querelam censenda est, per tradita Zoës. ad *d. l. n. 43.* atque hæc sententiâ lucidè confirmatur per *l. 8. §. fin. de bonor. poss. contr. tabb.*

## PROBLEMATA J. N. ET GENTIUM.

1. *Utrum Jus N. bene dividatur in præceptivum & permissivum?*
2. *U. in absolutum, & hypotheticum?*
3. *U. distinguatur à J. Gentium?*
4. *U. Juri N. refragetur Poligamia virilis?*
5. *U. hoc Jure inter fratrem & sororem prohibita sint nuptiæ?*
6. *U. hoc Jure metu injusto promittens obligetur?*
7. *U. Bellum à GROTTIO rectè desumatur: Status per vim certan-*

certantium qua tales sunt? 8. U. usucapio sit? 9. U. usura  
 sit? 10. U. Testamentum sit juris Naturae?

## ANALYSIS II.

### Ad L. Lecta 4. D. de reb. cred.

Succedit *L. Lecta* 40. de *R. C.* ob contortam, qua inter alias eminet, subtilitatem, damnatarum facile princeps vocitanda, juxta vulgatum: *Lex Lecta à paucis Doctores intellecta.* Ut cum Cyno in *addit. Zoëf. de Præscr. V.* exclamare liceat: *Deus scit, quot sint in ea ignorantes!* Quamvis verò Schilter *Exercit. ad r. 22. §. 16.* asserat, legem hanc post admotas Cujacii & Fabri manus, non amplius *toties lectam nunquam intellectam dici debere*; horum tamen prolixis commentariis cum non tam explicata, quam intricata potius reperitur, & ita Juris studioso parum consultum sit, in hujus favorem conabimur genuinum *L. Lecta* sensum aperire ac simplici viâ exprimere, quo posthac à Justiniano novo, nedum Doctores intellecta audiat.

Antequam autem legem ipsam ejusque casum attingamus, præmittenda erunt, quæ tum ad legem intelligendam spectant, tum ad ea, quibus *d. l.* occasionem præbuit: cujusmodi est immensæ subtilitatis

Quæstio: *An pactum adjectum contractui, pariat actionem?* ubi

Præmittendum 1. Quod contingat pactum dupliciter adjici contractui: *in continenti, & ex intervallo.* In continenti adjici dicitur; quod vel in ipso contractu, & antequam ille pro perfecto habetur, vel immediate, seu nullo actu interjecto, qui alienus sit à contractu, apponitur; licet enim *LL.* passim requirant, ut initio contractus *l. 23. de R. J.* in negotio gerendo *l. 31. de pact.* cum actio inchoatur *l. 27. de R. J.* adjiciatur; illud tamen non ita strictè semper accipiendum viderur, quin aliquando sufficiat, si mox, perfecto contractu, sine intervallo apponatur. *l. 5. §. 7.* in verbis: *pacta in continenti subsecuta. de pact. Ex intervallo* adjici dicitur, quod contractui jamdum absoluto post interpositam moram, aut dum contrahentes ad aliena negotia jam transierunt, apponitur: Porro pactum hoc duplici modo adjici solitum vel concernit *Substantialia* contractus, vel *Accidentalibus.*

Præmittit. 2. **SUBSTANTIALIA** contractus dici, quæ formam & essentiam constituunt, sine quibus is consistere non potest. Cujusmodi est res & pretium in *empt. vend. l. 2. de contr. empt.* Res & merces in locat:



locat: conductione l. 2. ff. locat. NATURALIA, quæ & adminicula dicuntur in l. 72. de contr. empr. sunt, quæ secundum naturam contractus legalem tacite ei insunt, tametsi non sint expressa; & hæc possunt à contrahentibus removeri, augeri vel immutari, valido nihilominus tenentè contractu. Sic venditor secundum naturam venditionis tenetur emptori de evictione. l. 11. §. 1. de act. empr. & tamen pacisci licet, ne teneatur d. l. 11. §. 18. Ex natura depositi depositarius præstat culpam latam, conductor levem, Commodatarius levissimam, & conveniri tamen potest, ut vel major vel minor præsterur. l. 1. §. convenit. ff. de positi. l. 23. de R. J. ACCIDENTALIA sunt, quæ non solum non pertinent ad substantiam, sed plane sunt extra naturam contractus & variè, prout liber, à Contrahentibus adjiciuntur. v. g. ut res vendita venditori locetur. Cujus generis sunt & Arithæ in empt. vendit. Inst. de empt. vend. Addictio in diem, & alia innumera; de quibus exaudienda Regula: *Pacta dant legem contractibus* l. 23. de R. J. His positis.

Resp. Ad Quæstionem propositam 1. Pactum in continenti adjectum circa Substantiali contractus, vel (1) facit contractum nullum (veluti si convenierit, ut venditor non sit obligatus rem tradere l. 13. C. de contr. empr. V. & CONTROV. 22.) vel (2) transire in aliam contractus speciem v. g. si placuerit, ut pro re vendita, loco pretii alia res detur: sic enim fit permutatio, nec amplius ex vendito, sed ex novo contractu agerur, scil. actione præscr. verbis. l. 5. §. 1. de Præscr. Verb. vel si convenierit, ut loco pretii emptor aliquid faciat, eritque contractus innominatus: do, ut facias. l. 6. §. 1. ff. de act. l. 6. de Præscr. Verb. Et in dictis quidem casibus novus omnino & specie diversus contractus inducitur. Aliàs autem & novus, numero tantum diversus; utpote si vendidi tibi insulam certa pecunia & in continenti placuerit, ut pro dimidia pretii aliam insulam meam rescriberes, agam ex vendito, ut rescribas. dicit d. l. 6. §. 1. Item si conventum, ut res 20. fl. vendita, nunc 15. sit empti, manet quidem emptio venditio, sed non prior, verùm nova videtur contracta l. 7. §. 6. l. 27. §. 2. ff. de pact. Vel (3) ipsum nullum est, veluti si conveniat, ne à societate recedatur l. 14. l. 40. pro socio. Item ut alter socius solus lucrum ferat, de damno autem nihil participet l. 27. §. 3. de Pact.

Resp. 2. Pactum ex intervallo appositum circa Substantialia non quidem reddet contractum antecedentem nullum l. empti C. de contr. empr. Confer. in simili Schambog. ad Inst. p. 105. de reliquo tamen

B

hic

Hic eundem cum antedicto pacto *in continenti* adjecto effectum operari viderur, ut & faciat contractum transmutari. l. 80. §. *fin. de contrab. empr.* Et dilucidum exempl. in l. 9. §. *fin. de R. cred.* mutari, seu alterari, si pars pretii dematur, vel addatur: cassari, si contingat, ut à contractu recedatur. l. 7. §. 6. *de pactis.* & ibi Zoëf. n. 37.

Atque hæc ita sine distinctione procedunt tam in S. J. quàm B. F. contractibus: veluti si mutuam tecum contraxerim, & placeat, ut loco mutui dati speciem reddas: ex ratione, quod hoc non sit ampliùs pactum nudum, sed novus contractus, utpote vel causam habens, uti in exemplis n. 3. vel nomen specificum scil. contractus novi nominati, consequenter tam in stricti J. quàm b. f. contractibus actionem producit, quem effectum ideo leges non passim attribuunt pacto contractui subjecto, ne ex nudo pacto detur actio. d. l. 7. §. 5. ut hoc in casu aliud sit.

Major verò est quæstio, & in qua præsentis difficultatis cardo vertitur; *Utrum nimir. pactum circa naturalia aut accidentalia in continenti appositum contractui insit?* Quam ut dextrè enodemus,

Præmitt. 3. Quod inesse dicantur pacta, quod faciant partem contractus & ipsi quasi incorporentur, ac cum eo confusa sint. d. l. 7. §. 3. Possunt autem inesse vel ex utraque parte, actoris scil. & Rei h. e. tam actionem, quàm exceptionem producendo, vel ex parte Rei tantum, quando ex parte hujus nullam quidem producunt actionem, pariunt tamen exceptionem, quæ insit. d. l. 7. §. 7.

Præmitt. 4. Quod inesse dicatur exceptio, de qua iudex datus cognoscere poterat, etiamsi ea coram prætore non fuisset proposita, quod *maximè* contingebat in contractibus seu actionibus bonæ fidei, ut dilucidè explicat Vultejus ad §. 28. *Inst. de act.* quem breviter refero. Exceptiones, inquit, inesse actionibus bon. f. dicuntur, quod formula ex bona fide data, liberum faciebat iudici scil. pedaneo, ut posset de illa cognoscere, etsi ea coram prætore non expressa nec proinde formulæ inserta fuisset; & hoc, inquam, propter formulam: *ex bona fide.* Secus fiebat in stricti juris actionibus, ubi prætor purum citra ejusmodi clausulam dabat iudicium, cujus proinde terminos ne latum unguem excedere iudici licebat. *confer. omn. Schambog. p.\* 189.*

Resp. 3. Pactum circa naturalia aut accidentalia in continenti adjectum contractui *bonæ fidei* inest pro qualitate casus tam ex parte actoris, quàm ex parte Rei. Exempl. prioris est: emi rem, & in continenti apposui pactum, ut venditor mihi etiam teneatur de culpa levissima, si jam

si jam per talem culpam res mihi vendita, ante traditionem, pereat, aut deterioretur, actione ex empto tale damnum prærendere possum. Exempl. posterioris: si conventum sit ut non nisi ad latam culpam teneatur venditor, & postea culpa levi damnum contingat, si id refarcire petam, repellat me per exceptionem, quo ipso jure tutus est. Schambog. cit. l. Et ita quoad contractus bonæ fidei statuunt textus expressi jamjam citandi; sicut & 2. certum est, pactum ejusmodi contractibus stricti juris inesse *ex parte Rei*, seu parere exceptionem, quæ pariter insit. Verum

Quæritur: *An contractibus stricti juris quoque insit, ex parte actoris & sic formet actionem?* Quod posset videri r. per famosam *L. nostram*, quæ dicit: *Pacta in continenti adjecta stipulationi inesse, ver a dicebam.* Quæ verba cum non distinguant, nec nos distinguere debemus arg. l. 8. *de Publ. in rem act.* Si ergo insunt, sequitur *secundò*, quod partem stipulationis faciant, & per necessariam consequentiam actionem forment; inesse enim nihil aliud est, quàm formare actionem *d. l. 7. §. 5.* formare contractum *l. 20. de jure dotium.* contractui dare formam *l. 23. de R. J.* Seu, ut argumentatur Fachin. 2. c. 99. Tale pactum contemperatione seu respectu contractus interponitur, ergo non jam amplius pactum nudum est, nullam causam habens præter ipsam conventionem: sed imò habet causam aliam, nempe contractum præcedentem, consequenter actionem producit. 3. Probatur per *l. petens 97. C. de pact.*

Verum his non obstantibus verior & juri conformior est sententia, pactum in str. J. contractibus inesse quidem *ex parte Rei*, *secund. d. l. lecta.* non etiam *ex parte actoris*, ut actionum pariat, e. g. in contrahenda stipulatione convenit, solvi intra mensem, si statim subjecto pacto placuerit, solvi intra hebdomadam, ex hoc pacto non nascitur actio, atque ita ante elapsum mensem peti non potest. Sed si convenerit, id solvi intra duos menses, & à creditore petatur elapso primo mense, debitor ipso jure tutus est. Quæ sententia probatur clarè per *d. l. 7. §. 5. ff. de pactis.* in verbis: *quin imò interdum format* (scil. ejusmodi pactum) *ipsam actionem, ut in bonæ fidei judicis, quid apertius?* Er per *l. 13. C. eod.* in verbis: *in bonæ fidei contractibus &c.* quæ, & plura alia loca frustra semper mentionem facerent bonæ fidei, si idem in judicis stricti juris obtineret; Ratio autem legum ita quoad contractus b. f. statutum est, quod in his præsterur omne id, quod æquum est, alteri ab altero præstari, quod non obrinet in strictis, ut in iis aliud juris quoad præsentem materiam esse, dicendum sit. *Zoëf. ad d. Tit. de pact. n. 63.*

Non *Obli* damnata *L. Lecta* cuius CASUS 4. constat positionibus, & esse Titius (1) accepit à Mævio quindecim millia denario- rum, vel clarius ponamus, quindecim centenos florenos, (2) promi- sit per stipulationem, se i. Januarii integram hanc summam solururum (3) spondit per aliam stipulationem, quod à tempore moræ velit menstruè ex singulis centum unum florenum usurarum nomine solve- re: isti omnes fuerunt contractus stricti juris. Tandem (4) *in continen- ti* Mævius adjicit nudum pactum, quo liceat Titio sortem per partes solvere, nimir. trecentos florenos in singulos menses, scil. i. Jan. 300. i. Febr. 300. & sic ulterius menstruè, donec rota summa capitalis com- pleatur. Posthac Titius est in mora & non solvit pro primo mense. Mævius *perit* usuras integræ sortis, h. e. quindecim fl. *Excipit* Titius nec plus se debere contendit, quam pensionis unius non solutæ usuras, scil. tres tantum fl. propter pactum ultimo loco appositum. *Replicat* Mævius Creditor, quod per pactum concesserit particularem solutio- nem sortis, non etiam usurarum, unde usuras totius sortis prestare re- neatur vi secundæ stipulationis, cui subiectum pactum utpote longè in- firmius præjudicare non possit. *Duplicat* Titius debitor, quod, licet pactum ultimum sit infirmius stipulatione, valeat tamen ad exceptionem quæ, cum petenti totam sortem obstat, consequenter, & petenti totius usuras obstrutura sit. *Quæstio: quid debeat?* Putat J. C. Ulpianus, pa- ctum subiectum stipulationi tantum pertinere ad sortem divisis pen- sionibus solvendam, non etiam ad usuras in secundam stipulationem de- ductas. Ab hac opinione discedit J. C. Paulus, & tenet, quod debitor tantum pro illa pensione, pro qua fuit in mora, usuras solvere reneatur, ex ratione: quod usuræ creditæ pecuniæ deberi non possint, nisi post moram, debitor autem moram non admisit universæ sortis, sed pri- mæ tantum pensionis. *b. l. nostra.*

Ubi jam *Obliant* sententiæ nostræ quæ subijcit verba J. C. (1) hæc: *quidam dicebant pactum id tantum ad exceptionem prodesse.* (2) *Et sicut ille putabat* (scil. Ulpianus Pauli adversarius) *ad exceptionem tantum prodesse pactum, quamvis sententia adversa obtinuerit.*

Ex quibus inferunt cum Glossa: contraria sententia obrinuit, & Paulus dissentit ab Ulpiano, qui ad exceptionem tantum prodesse pactum contendebar: ergo pactum adjectum stipulationi, tanquam contractui stricti juris, etiam producit actionem. Sed vehementer decipiuntur: cum in casu legis nulla erat, nec cogitabilis est quæstio de actione, siquidem pactum dilatare solutionis fuit subiectum pro bono debitoris, adeoque actio-

actionem parere non poterat. Quod, cum & fiat ex adversariis, qui  
 uri debent, fateantur, responderi nonnemo: *Concedo* quod qualitas pa-  
 cti in casu legis nonnisi reo prodesse possit, ex quo nonnisi ineptè con-  
 cluditur, actori nunquam prodesse. Ineptum sanè effugium! Replico  
 enim, sic & ineptè tu una cum asseclatum phalange ad legem hanc tan-  
 quam sententiæ tuæ unicum asyllum confugis, &, quod pactum pariat  
 actionem, nativum *L. Lecta* esse intellectum per disputationis tuæ Rū-  
 brum & Nigrum præposterè lactaris. Resp. 2. D. verba J.Cti: Quidam  
 dicebant, & Ulpianus putabat, pactum prodesse tantum ad exceptionem;  
 respectu fortis C. respectu usurarum N. & hæc est diversa, quæ obti-  
 nuit sententiæ, hæc quaestio, quæ per Paulum decisa est contra Ulpian.  
 & alios, qui contendebant, *pactum ad fortis solutionem tantum pertinere,*  
*non etiam usurarum, quæ priore parte simpliciter in stipulationem venissent,*  
 inquit Paul. *l. nostra.* Quid distinctius? ut mirari subeat, quæ tantopere  
 hac lege decipi potuerint dissentientes. Resp. 3. Quod pactum hoc  
 non tantum profit ad exceptionem solenniter opponendam, *ut aliqui*  
*cum Ulpiano putabant,* sed etiam ad exceptionem, quæ insit. Resp. 4.  
 cum aliquibus, quod pactum non tantum profit ad exceptionem, quæ  
 præsupponat actionem, sed ad minuendam ipso jure actionem. Sed *di-*  
*ces:* hoc casu tamen à debitore erit apponenda. Resp. Juris, N. Facti  
 C. inde dicendum, pactum ejusmodi inesse ex parte Rei hoc sensu, quod  
 minuat actionem, ex parte verò actoris non inest ad producendam  
 actionem.

Non *Obst.* Ratio dubitandi supra primo loco relata. Resp. enim  
 i. verba quidem ista esse generalia, sed generalitas hæc restringenda  
 venit secundum rationem legis, quæ hic, ut demonstratum est, nullatenus  
 potest accommodari actori. Confer. *Epitome de Idendit. & similit.*  
*ration. §. 4. v. 4.* Resp. 2. distinguere præterea sufficienter alia jura, ut  
*d. l. 7. §. 5. & 13.* ceu supra probatum.

Non *Obst.* 3. Secundo loco allatum, ubi omnino verum est, face-  
 re partem contractus etiam stricti juris, alioqui enim nec huic respectu  
 Rei inesset producendo exceptionem; quæ insit; inde tamen non nisi  
 perperam inferur, habere ejusmodi pacta eo ipso etiam effectum produ-  
 cendi actionem, cum non sit infrequens in jure, esse aliquid partem  
 uno respectu & effectu, quin sit omni, & eatenus etiam, quatenus  
 nulla non modo invenitur legis dispositio, sed & omnino contraria; ut  
 ostensum supra. Accedit, quod Rei causa non tantum aliàs semper &  
 ubique sit favorabilior, quam actoris, sed specificè in ordine ad pa-  
 randam

randam sibi actionem, l. 27. §. 2. ff. de pact. l. 57. de oblig. & act. quod sic agatur de minus obligando Reum, & leges sint procliviores ad liberandum, quam ad obligandum l. 125. de R. J. Aliud statutum in contractibus bonæ fidei, quod in iis utrinque adjudicanda veniant etiam ea, de quibus partes expressè non convenerunt, etiam verosimiliter non cogitarunt, modo æquitas velit, ut unus id præter alteri. Schambog. ad §. 28. Inst. de act.

Ad LL. ibi citatas uti d. l. 7. §. 5. l. 10. de jure dot. &c. Resp. d. l. 7. loqui de contractibus bonæ fidei, & quidem exclusivè, ut supra dictum, atque hinc sententiam nostram egregiè promovet. LL. verò reliquæ præterquam quod omnes etiam agant de contractibus bonæ fidei, & sic pro nobis faciant, contrariam sententiam per citata formalia plus nihilo evincunt. Ad argumentationem Fachinæi Resp. 1. eam probare nimium: quia alioquin etiam pactum ex intervallo adjectum actionem parere debeat, cum & hoc fiat intuitu contractûs præcedentis, & proinde caueam habeat, id quod nemo faretur. Resp. 2. Verum est, illud pactum nudum non esse, sed eatenus legitimum dici posse, quod, ut nostra habet sententia, in contractibus b. f. insit ex utraque parte, in strictis iudiciis autem ex parte rei tantum, quod ultimum non esset, si in terminis nudi placiti consisteret: specificè igitur audit, *pactum in continenti adjectum.*

Magis obstare videtur 4. d. l. petens C. de pact. quæ lex Ddum ingenia ultra modum exercuit. Verba legis hæc sunt: *Petens ex stipulatione, quæ placiti servandi causa secuta est, seu antecessit pactum, seu post secutum N.B. statim interpositum sit, rectè secundum se ferri sententiam postulat.* Verum nihil obstat, nam in ea agitur de pacto confirmato per stipulationem, vel antecedentem (v. g. dixissem: spondesne dare vel facere, quod per nudum pactum mihi promittes?) vel subsequenter, v. g. spondesne dare vel facere, quod per nudum pactum mihi promissisti? (sicut olim moris erat, l. Titia 134. §. ult. de V. O. & plures citat. in notis Gothofred. ad b. l.) & deciditur, peti posse ex stipulatione, quod continetur in pacto.

Sed obstat verbum *statim*; quod alioquin esset superfluum, nisi intelligamus legem de pacto in continenti simpliciter adjecto stipulationi; Nam ex stipulatione, quæ placiti servandi causâ præcedit, agi potest, licet pactum non statim secutum sit, sed longo intervallo l. 132. §. fin. de V. O. l. 30. de R. C. Fachin. 10. 13. Resp. non esse superfluum: ideo enim lex vult in continenti subijci pactum, ne subijciatur aliud, quam de

de quó cogitarum est. Zoëf. *de pactis* n. 64. quod solidè firmatur per l. 6. §. 1. iuncta l. 7. ff. *de Novat.* ubi illa requirit in *continenti* factam esse stipulationem ad hoc, ut ex ea mutuum datum condici possit, cum tamen & omnino poruisset, subsecutà licet ex intervallo stipulatione; proque in d. l. 7. distinctè traditur.

Finaliter Quæres: *Quenam ex pacto in continenti adjecto contractui b. f. detur actio, an præscriptis verbis, an actio contractus?* Posterius affirmandum. I. Quod pactum hoc hunc habeat effectum, quatenus contractui est in continenti subjectum, ergo aliam actionem producere nequit, quàm der ipse contractus tanquam causa. Vid. Zoëf. d. l. II. Ex hoc pacto nequit actio præscriptis verbis descendere: In tantum enim ex pacto in continenti adjecto generatur actio, in quantum contractum format eique inest d. l. 7. §. 5. *de pact.* sed nequit contractum formare in ordine ad hunc effectum, ut inde nascatur actio præscriptis verbis. *Pbr. Min.* Actio P. V. est effectus ac creatura contractus innominati. *z. i. de præscr. V.* sed pactum hoc non transmutat contractum nominatum in innominatum, alioqui enim contractum non formaret; sed transformeret. E. III. Actio P. V. est subsidiaria & extraordinaria, ac non nisi deficientibus aliis remediis comperit. Atqui actio ordinaria scil. contractus atque ita remedium ordinarium hinc non deficit. l. 79. *de contrab. empr.* l. 6. §. 1. *de act. empr.* l. 11. *C. de pact.* E. *Obst. I.* ex huiusmodi pacto utraque datur actio, contractus scil. & præscriptis verbis: E. non præcisè actio contractus. *Pbr. A.* per l. 50. *de contr. empr.* Respondet Gletle *Tr. de pact. c. 2. §. 5. inf. in d. l.* non agi de pacto venditioni puræ adjecto; sed quæ fuit contracta sub conditione: Datur autem ibi actio præscriptis verbis ad id, ut alter aut impleat conditionem aut interesse præstet. Præter hanc verò actionem ex alia ratione Ulpianus puravit, etiam ex vendito agi posse: ideo scil. quia, cum per emptorem steterit, quo minùs conditio impleteretur, perinde haberi debeat, ac si esset purificata ita d. Gletle allegans Bachov. Vinn. & Struv. *Obst. II. l. 2. C. de pact. inter empr.* ubi ex pacto de retrovendendo venditioni adjecto *actio præscriptis V. vel ex vendito datur.* Resp. itidem Gletle, dubitari quandoque, an vulgari actioni locus sit, atque ideò utramque h. e. tam vulgarem, quàm præscript. verbis actionem proponi, ut si illa fortè non videatur habere locum, hæc saltem habeat, ratio autem dubitandi in d. l. est quod huiusmodi pactum ad dissolutionem inire venditionis pertineat, proinde non videatur contractui posse inesse,

esse, ejusque actionem ad hunc finem producere. Id. Gletle. V. Zoëf. ad tit. de Retr. n. 3. & 4. Eadem est solutio ad L. 6. de Rescind. vend.

## PROBLEMATATA POLITICA.

11. *Utrum summam Potestatem rectè circumloquatur Grotius. Cujus actus alterius juri non subsunt ut ab eo irriti reddi possint.* 12. *U. Detur Majestas realis & personalis?* 13. *U. Lex de resistendo Majestati ab necessitate inevitabilem pendeat, juxta Grotium, à voluntate primùm cœcuntium in potestatem civilem?* 14. *U. capitulationes & pacta imperium concernentia derogent Majestati?* 15. *U. Ratio Statûs probe dispescatur in generalem & particularem?* 16. *U. liceat Principi pacato alterutri hostium res belli aptas vendere?* 17. *U. Monarchia præstet Aristocratia?* 18. Item: *U. Electio in Regno, Successioni?* 19. *U. Viri prudenti ducenda uxor formosa?* 20. *U. Principi juvenes an senes in Consiliariorum numerum coaptandi?*

## ANALYSIS III.

### Ad L. Frater. 38. de Condict. indebiti.

**A**D Legis hujus, quæ & re & sanâ difficilis, sicut alia in Corpore Juris Bartolo ad l. h. dicitur, & secundum Hotomann. ad eand. obscurissima semper à DD. est habita, intellectum PRÆNOTANDUM (1) eos, qui ejusdem sunt familiæ, inter se naturaliter tantùm obligari. Quid sit familia propriè accepta, passim tradunt JCti & Politici. Vid. elegantè BERG in *Introduc. in Doctr. Polit. c. 6. de Familia & Collegiis*. Quid sit obligatio naturalis, pariter constat. Sic ex contractu patris cum filiof. vel filiorumf. tanq. fratrum inter se, domini cum servo, naturalis tantùm confurgit obligatio. (2) Pecunie naturaliter tantùm debitæ, solutæ cessare conditionem l. 13. & 28. h. l. Hinc si, quod filiusf. patri, frater fratri naturaliter debebat, alterius jam familiæ factus, ei solverit, non repetet, *dd. ll.* (3) Peculium tam profectitium quàm adventitium hoc jure cum hæreditate paterna confundi l. 1. ff. *si à parente quis manum*. Proinde si filiusf. centum habeat in peculio, de hoc pro portione hæreditaria participabit, ut si ex semisse duo fratres succedant, uterque *quinguinta* consecuturus sit. (4) Debitum, quod naturaliter frater fratri, vel filius patri debet, pro ea parte, qua frater patèrve peculium alterius (h. e. frater fratris, pater filii) partici-

pat,



pat, extingui. His Præmissis, CASUS L. est iste: Duo fuere filii. v. g. Marcus & Quintus Cicerones, quilibet habens peculium profectitium *centum florenorum*. Marcus 100. à Quinto fratre mutuos accepit, atque ita Marcus fratri naturaliter obligatus est, postea, patre illorum mortuo, Marcus fratri illos per errorem exsolvit. Q. *Utrum possit condicere?* Dependet hæc Quæstio ab ea: *utrum adeptione sui juris* (quæ h. c. contingit per mortem patris) *extinguatur obligatio naturalis?* Negat hoc JCtus in *l. hac.* atque ita videtur dicendum, soluti conditionem in totum cessare. Verùm Responderet *l. nostra,* videndum est (1) pro qua parte Marcus sit hæres patri, & pro ea quoque parte solum repetere poterit, quia succedit eatenus in obligationem patri ex contractu mutui per Quintum inito quæsitam. Hinc si ex semisse sit hæres Marcus, ex altero verò semisse Quintus, condicit ex *centum* solutis 50. tanq. indebitè solutos. Si ex dodrante sit hæres, condicet 75. quia si ex assè fuisset hæres, nihil debuisset, ne idem ipse ex sua persona sit debitor, & ex persona defuncti patris creditor. Hinc (2) è converso sequitur, quod pro qua parte Quintus est hæres patri, pro ea parte cesset condictio, quia pro tali parte successit in obligationem patri quæsitam, & hætenus representat patrem tanq. creditorem respectu Marci naturalis debitoris, ut si sit Quintus hæres ex semisse, possint tantùm ab eo avocari 50. &c. (3) Casus est exceptus, si Marcus peculium suum contulisset ad massam hæreditariam, tunc quantum ex peculio hoc ad Quintum pervenit, tantum potest condicere ex solutis *centum*, si 50. pervenere, hos potest condicere, &c. Hinc (4) si nihil ex peculio hoc ad Quintum pervenerit, ut si totum peculium fuisset Marco prælegatum, cum sic intuitu peculii maneat naturaliter obligatus frater debitor fratri, solum condicere non potest: imo posset hoc casu in hæreditatis divisione Quintus debitum naturale centum florenorum sibi deducere, si ei nondum essent soluti, (Quia peculium profectitium manet obligatum aeri alieno post mortem Patris, qui est effectus peculii Profectitii. V. Schambog. ad *J. §. i. per quas personas.* vers. *dices ergo*) ergo multò magis soluti cessabit condictio. Si itaque ad Quintum aliquid de peculio Marci pervenerit, eatenus hic condicet solum, ne idem bis accipiat; & probat JCtus per hunc CASUM: Si Marcus filiusf. Crasso extraneo ex peculio suo, quod constat *ducentis*, viginti debeat, & centum ad Quintum alterum fratrem post mortem Patris ex hoc Peculio pervenerint, extraneus actione de peculio à Quinto *decem* exigere potest, quia qua ex parte Quintus peculium consecutus est, ex ea parte extraneo adstringitur;

& sic Quintus frater fratrem contra extraneum debet præstare indem-  
nem, quia aliquid habet ex peculio: ergo & debet contra se ipsum,  
quatenus jam habet ex peculio, atque sic fortè facilius intelliguntur tra-  
dita à Zoëlio ad spinosam *h. l. b. t. n. 22.*

### PROBLEMATATA CANONICA.

21. **U**trum Constitutio Pontificia obliget ante bimestre? 22. *U. cui con-*  
*cessa facultas dispensandi, secum ipso dispensare possit?* 23. *U.*  
*Jurisdictio delegata & mandata differant?* 24. *U. Capitulum S. V. con-*  
*ferat ea beneficia, quæ jure devoluto spectant ad Episcopum?* 25. *U. Cle-*  
*ricus possit reconveniri coram Judice laico?* 26. *U. Impubes ante septen-*  
*num, malitiâ supplente ætatem, sponsalia valide contrahat?* 27. *U. hoc*  
*jure detur merum imperium?* 28. *U. ut per subseq. matrimonium legiti-*  
*matur filius, sufficiat potuisse esse matrimonium inter parentes tempore na-*  
*tivitatæ?* 29. *U. hæc legitimatio hoc jure procedat liberis inuitis?* 30. *U.*  
*in sponsalibus de futuro conditio impossibilis habeatur pro non adjecta?*

### ANALYSIS IV.

*Ad L. Gallus, 29. D. de Liber. & Posthum.*

**A**D legis hujus inexhaustis, secundum vulgarem, neque sanè inju-  
riâ, difficultatibus obstructæ, intellectum assequendum, *Præsup-*  
*ponendum* (1) Posthumum *aliun* esse *suam*, qualis est, qui si vivo patre  
natus fuisset, in ipsius *primo* patriæ potestatis gradu fuisset, veluti filius,  
aut ex filio præmortuo nepos. *Aliun* esse *alienum*, & hunc quidem du-  
pliciter: vel respectu *suitatis* tantum, vel *suitatis* & *patriæ potestatis*  
simul. Ille est, qui quidem in patria potestate exiturus esset, ac non  
in *primo gradu*. §. 2. *Inst. de legat.* veluti natus ex filio, nepos. *Hic* est,  
qui natus nullum in patria potestate habiturus est gradum: veluti conce-  
ptus & natus ex emancipato filio nepos. idem natus ex filia. Aliqui  
& tertio modo alienum ponunt, scil. qui sit alienus etiam respectu *San-*  
*guinis*, sed ridiculè contra ethymon vocis *Posthumus*. *Præsupp.* (2)  
Posthumi secundo modo alieni institutionem ante Justinianum de jure  
*Civili* non valuisse *l. 3. §. 1. h. 1.* Post verò *Prætor* iis institutis consuluit per  
bonorum possessionem secundum *tabb. Pr. Inst. de bon. poss.* Tandem Im-  
perator eorum institutionem admisit. *d. §. Inst. de legat.* Obstant *l. pen-*  
*ult. de legat. 1. & §. 28. Inst. de legat.* ubi jam ante Justinianum posthu-  
mi

mi alieni institutionem permissam fuisse asseritur. *¶* Loquuntur hæc loca de posthumo alieno respectu *Suitatis tantum*. *Præsuppon.* (3) *lege nostrâ* non agi de posthumo suo, de quo v. §. 1. *Inst. de exher. lib.* & ibi Schambog. Sed de alieno respectu patriæ potestatis tantum, cujus institutio jam ante Justinianum per *l. Gallus*. inducta est. Cujus famosæ legis CASUS ergo est hic: Titus habens filiumf. & nurum ex eo prægnantem, vult condere testamentum, QUÆRITUR: *An possit partum in ventre existentem instituere?* *¶* Ante *l. Gallus*. non. Hinc si contingeret, ut filius præmoreretur patri, & nasceretur talis nepos, rumpebat testamentum, quod ne fieret ampliùs, lex *nra* posthumi hujus institutionem permisit, latâ hac formulâ: *Si filius meus* (qui supponitur institutus *l. n. §. 10.*) *vivo me morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos, sive quæ neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus, nata erit, hæredes sumo.* Circa quam formulam jam exsurgunt *Quæstiones* propè inextricabiles. I. *An non ista formula fuerit supervacanea*, eo quod substitutionis vulgaris eadem sit vis? Nam cum ita dicitur: *Filius hæres esto, si non erit, Titius esto:* perinde est, ac si diceretur: *Si filius me vivo moriatur.* Nullo enim alio casu potest accidere, ut filius hæres non sit, quàm si patre vivo decedat. Nam si patri superstes sit, etiamsi hæreditate abstineat, velit nolit hæres est, unde suus & necessarius appellatur *l. 30. §. 5. ff. de fideic. libert.* Quot, exclamat nonnemo, *JCr*is hîc aqua hæsit? *¶* Esto, illa minus necessaria fuerit, certè fuit utilissimum, specialem hisce casibus formulam accommodare; Prouti factum sæpius alibi à prætoribus. *ut tit. de publican. & vestigialib. l. 1. vi bonor. raptor. & passim.* Præterea nonnulla etiam de nepote, nepte, decemque mensium intervallo adjecta sunt, de quibus cavere testatorem nonnunquam necessarium, semper sanè summæ prudentiæ & diligentiæ videtur. Quanquam ad 14. menses extendant Galli hac in re minùs stomachici. Q. II. *Cùm dicta formula concepta sit in casum mortis. an non & alii casus, quibus filius extra potestatem ponitur, comprehenduntur?* hanc Q. disertè decidit *l. nra.* dum §. 5. QUÆRIT: *Et quid si tantum in mortis filii casum conciperet testator?* Et responderet affirm. in verb. *bienim casus* &c. ut mirer dissentire *Zoësium* hic *n. 45.* contra tam clarum textum, ut & proinde necesse habeat, plures difficultates subsequentes operosè dirimere. Q. III. *Accasione verbor: post mortem meam. Quid sentiendum in hoc Casu?* Testamento juxta dictam formulam facto, nurus prægnans ab hostibus capta est, abique & patre & filio in civitate vivis peperit. Ali-

quanto post primū filio, dein patre mortuis, nepos in civitatem afferretur, QUÆRITUR: cum institutus esset, qui post mortem nasceretur, an hic recte institutus censeatur? Rēdetur affirmativè, quod tum natus videatur, cum in civitatem allatus est. Utrum verò hic casus ad legem nostram, an ad L. XII. Tab. an ad Legem Vellejam spectet, examinanti non physicè, sed civiliter facile patebit. Q. IV. Quid de hoc CASU? Quidam filium habens & nurum ex eo gravidam, ita scripsit: *filius hæres esto, &c. tum qui natus fuerit suus, hæres esto.* Nepos iste vivo patre suo nascitur, post idem nepos adultus uxorem ducit, quæ ex eo grāvida est, nunc moritur nepos, deinde filius, postremò testator, dein nascitur pronepos. QUÆRITUR: cum de solo nepote cogitaverit testator, an pronepos hic sit institutus? Rēdet l. n. §. forsitān. Favore testamenti utrumque casum à testatore notatum censeari, scilicet hunc proneptorem & suum nasciturum, & nasciturum post mortem. Ut proinde eodem modo successurus sit pronepos iste natus ex nepote, ac si natus ex nepote in primum gradum esset adoptatus, quod fieri solere, constat ex *Inst. tit. de adopt.* Ex dicta formula patet, talem nepotem, de quo hæcenus egimus, institutum esse in casum, quo post mortem filii, & post mortem avi nasceretur. Unde QUÆRITUR: quid si nepos talis nasceretur post mortem filii, sed vivo avo? R. Tum rumpebat testamentum, quod ne fieret, lata est *Lex Velleja* duo habens capita, quam quia una cum casu §. 15. d. l. *Gallus* (qui vocatur difficilis, & ad L. *Gallus*. & ad L. *Vellejam* pertinens) perspicuè resolvit Schambogen ad *Inst. §. 2. de exhæred. liber.* eò L. B. remittimus.

## PROBLEMATATA THEOLOGICO-CANONICA.

31. Utrum matrimonium sub conditione Perpetuæ continentie contractum teneat? 32. U. quod matrimonium metu initum sit nullum veniat ex dispositione juris positivi? 33. U. matrimonium consummatur per copulam intra bimestre vi extortam? 34. U. matrimonium clandestinè contractum valeat in vim sponsalium? 35. U. matrimonium sub conditione de futuro honesta initum, eā impletâ continuè ratificetur? 36. U. Leges vœtigalium sub pena commissi obligent in conscientia? 37. U. Sponsus, qui juratò fidem dedit, possit ante contractum matrimonium ingredi religionem? 38. U. Clerici fructus Beneficiales ultra commodam sustentationem superstites in profanos usus expendentes teneantur ad restitutionem? 39. U. vovens jejunaire sextis feriis, teneatur, incidente in eas Natali

rali Domini? 40. U. testamentum nullum in foro soli, sit & nullum in foro poli?

## ANALYSIS V.

### Ad L. Filius. 24. C. Famil. ercisc.

CAsus confusæ Legis hujus est talis: Titius trecentos aureos in bonis suis habens, & in his fundum quendam 21. aureorum, tale condidit testamentum: *Lucius filius meus, & Cajus ac Sempronius extranei, hæredes sunt, reliqui duo filii mei exhæredes sunt. Volo autem, ut filius meus suam hæreditatis partem duobus fratribus suis exhæredatis, itémque Alumnis A. & B. restituat, si hæres à patruo suo relinquatur.* Mortuo Testatore, tres hæredes instituti hæreditatem inter se sic pariuntur, ut Lucio tertia pars ejus fundi (in quo vivo patre usumfructum sibi concessum habuisse dicitur *l. n.*) obveniat, reliquas duas partes cedit suis cohæredibus, à quibus primò pro earum pretio *quatuordecim* aureos, ac præterea alias res usque ad centum aureorum summam, pro portione sua hæreditaria accepit. Post annos aliquot cum Lucius interea suæ tertiæ fundi partis fructus percepisset, ac fortassis fundi pretium ac bonitas crevisset, evenit *conditio*, & à patruo suo defuncto hæres *relinquitur*; atque ita portio illius hæreditaria scilicet centum fideicommissarius restituenda est. Quod antequàm faciat quartam Trebellianicam, quæ hoc in casu sunt 25. aurei, deducit, sequenti modo: (1) partem illam fundi hæreditariam eo pretio, quo sibi æstimata in hæreditate dividenda fuerat nimir. 7. aureis. (2) *Quatuordecim* aureos, quos pro reliquis duabus fundi partibus à cohæredibus acceperat. (3) Quia *Quatuor* aurei ad conficiendum quadrantem adhuc deerant, in supplementum *quatuor* aureos adjiciunt, ut jam de *centum*; 25. aureos Lucius pro quarta Trebellianica habeat. Aliquanto post fideicommissarii rem nonnihil curatius pensitatâ, intellexerunt partem illam fundi plus esse, quàm quanti in quarta computanda æstimata fuerat: forte quod pretium ejus exereverat, ut dictum *supra*. Aut revocarunt in memoriam fructus ejus partis, ab hærede pendente conditione perceptos, non fuisse illi in quartam imputatos. Perere igitur incipiunt ab illo, ut quod in ipso fundo plus solum esset, redderetur. Fructus enim perere non poterant, ob *l. 18. §. 1. ff. ad SC. Trebell.* conveniunt itaque hæredem Lucium judicio familiæ eriscundæ, ut, quod ratione auctæ fundi

fundi bonitatis supra quartam habeat, restituat. **QUÆRITUR:** *An ad hoc teneatur?* Possit videri quod non: eo, quod quartæ rationem cum Lucio inquando transegitte videantur, quæ non rescindenda, esto, lætio quadruplum excedat. *famosa l. Lucius. 28. ff. ad SCrum Trebell. & locis plurimis aliis.* Verùm *Respondet Imperator* in verbis finalibus *l. nra.* neutiquam transactum videri, cogenđumque hæredem esse, quod à fideicommissariis in eo fundo acceperat, quatenus supra quartam habeat, eis restituere. Cujus rescripti æquitas confirmatur vulgatâ regulâ: *ejusdem oportere esse commodum, cujus est incommodum.* Nam si sine dolo vel culpa hæredis detrimentum aliquod hæreditati accidisset, illud fideicommissum imminuturum fuisset *l. 22. ff. ad SC. Treb.* ut per consequens & siquid fuerit emolumenti, illud augeat *l. 33. d.t.*

## PROBLEMATA CIVILIA.

41. **U**trum 50. Decisiones Codicis corrigant jus antiquum? 42. *U. lex permittens qua talis habeat rationem legis?* 43. *U. beneficium cessionis bonorum saluum sit renuncianti jurato?* 44. *U. Pactum in continenti adjectum contractui stricti juris ei insit ex parte actoris?* 45. *U. ex capite justæ ignorantia debet restitutio contra completam usucapionem?* 46. *U. ad præscriptionem servitutun requiratur titulus?* 47. *U. ob supervenientiam liberorum revocetur donatio?* 48. *U. fratri contra fratrem competat beneficium competentia?* 49. *U. juri luendi pignoris possit præscribi?* 50. *U. fidejussor se obligans ut debitorem principalem gaudeat beneficio ordinis?*

## ANALYSIS VI.

### Ad L. Ejus 41. de rebus credit.

**I**egis hujus in difficiliorem censum relatæ, quod legum quarundam antinomias impugnari videatur, CASUS est sequens: Titius servum suum Stichum Calendario præposuit in provincia; Dominus Stichum ita peregrinè existentem & præterea alios duos instituit hæredes, ac decessit; eo mortuo, testamentum Romæ publicatur, eoque liber & hæres pronunciat. Stichus horum ignarus (1) exegit defuncti Domini sui debita. (2) Dedit pecunias mutuas. (3) Stipulatus est. **QUÆRITUR:** *An actus isti valeant?* R. ad l. Debitores solventes ipso jure liberatos esse, si modò Dominum decessisse ignorarint.

*h. l.* idque favore liberationis. Cui è diametro Obstat *l. 17. §. 3. inf. ff. de inlitov. action.* in verbis: *non enim imputandum est ei, qui sciens dominum decessisse cum inlitore contrahat.* Diverſi diverſimodè has leges conciliare allaborant, aliqui hęc antinomiam hoſpitant. Alii cum Fabro *lib. 2. conjeſt. c. 11.* volunt pro ſciens legi *neſciens.* Quæ ſane ſolutio mereretur aſſenſum ob citata verba: *non enim imputandum.* Niſi omnes obſtarent Codices prædictam leſturam referentes. Reſpondendum videtur cum Brunnemanno ad *h. l.* eſſe hoc in caſu quoad inlitores, de quibus agit *d. l. 17.* quid ſingulare, fundatum in ratione utilitatis promiſcui uſus & Commerciorum, favoris quaſi publici. R. 2. Cum adhuc ſervus poſt mortem Domini inſtet tabernæ publicæ rationabiliter credunt contrahentes, eum ab hæredibus inibi præſentibus, aut aliis, penes quos ea eſt poteſtas v. g. hæreditatis curatore de novo approbatum eſſe: quod ſecus in caſu *l. nra.* Sed QUÆRITUR: *Qua actione cohæredes exactas pecunias pro rara ſua à Stricho conſequentur?* Rdet *l. n.* non familiæ erciſcundæ, quia non geſſit ut hæres, *l. qui erat inf. fam. erciſc.* Sed negotiorum geſtorum actione. Cui porro directè Obſtat *l. 52. §. Servus. r. ff. Famil. erciſc.* Ubi itidem ſervus hæres in tali caſu cohæredibus tenetur familiæ erciſcundæ iudicio. Reſpondeo, omiſſis aliis conciliationibus minùs commodis, cum Gloſſa ad *h. l.* eum hic non conveniri ratione geſtionis, ſed quia rem communem poſſideat, quam & probat Brunnemann. *ad d. l. 52.* alii ſine rubore & hic admittunt antimoniam. Ad II. *Scilicet quoad creditam à Stricho pecuniam* Rdet *l. nra.* illam pecuniam ex ea parte tantum, qua eſt hæres alienatam eſſe. Obſtar: ſed neque pro iſta parte, cum erraverit. *l. 15. §. 2. ff. de contrah. empr. l. 34. de acquir. R. D.* Rdent 1) Speciale eſſe in pecunia credita. *arg. l. 15. b. t. & l. 3. §. 8. de condiſt. cauſa dat.* (2) Diſtinguendum eſſe: aut quis putat rem, quam tradit, ejus eſſe cui tradit, cum tamen ſit ſua, & nihil ad eum tranſit. juxta *d. l. 3. §. 8.* Aut putat eſſe tertii, & ſubdiſtinguendum: vel eſt ejus à quo dominium habet & facultatem alienandi, & tunc tranſfertur, uti *l. nra.* vel ejus à quo non habet, & non tranſfertur, ut *dd. ll. 34. & 15.* ita Gloſſa ad *h. l.* Ad III. *Utrum nimir. valide ſtipulatus ſit?* Reſponderet *l. noſtra* ſub diſtinctione: An nominatim, forte Titio Domino ſuo jam defuncto dati ſtipulatus ſit, & non tenet. an ſibi, & tenet ſtipulatio. Sed QUÆR. *Cui quaeratur ex hac ſtipulatione obligatio?* Reſponderet *l. n.* itidem ſub diſtinctione: Utrum ante aditum hæreditatem ſtipulatus ſit, & quaerit hæreditati, ex ratione, quod & nobis ex re noſtra per liberos bona fide poſſeſſos ut ſervos acquiratur.

Utrum

Utrum post aditam: & subdividing, aut ignorarunt hæredes sicutum sibi cohæredem datum, & pariter hæreditati. Aut sciverunt, & non cohæredibus, sed sibi soli quærit.

PROBLEMATATA TESTAMENTARIA.

51. Utrum Testamentum rectè definiat Testator in l. i. ff. qui testam. fac. poss. ? 52. U. metu factum valeat ? 53. U. spurio instituto, fratri præterito competat querela ? 54. U. ob non confectum inventarium perdatur Trebellianica ? 56. U. derur substitutio vulgaris tacita ? 57. U. pupillaris tacita excludat marrem à legitima ? 58. U. exhereditatio posthumi teneat ? 59. U. testamentum ob præteritionem sui nullum sustineatur per clausulam Codicillarem ? 60. U. Nov. 127. c. i. decisio spectet etiam ad fratrum liberos, si soli sint ?

ANALYSIS VII.

Ad L. Vinum. 22. de Reb. creditis.

Contentum ac decisio solennissimæ hujus l. sequentis quæstionis resolutione absolvi videtur, qua QUÆRITUR: Si vini vel alterius rei fungibilis solvenda sit æstimatio, ad quod tempus ea referenda, an ad tempus mutui dati, an extrajudicialis interpellationis, an litis contestatæ, an sententiæ? Quod ob loca legum variantia, & diversa Doctorum judicia decidere oppidò difficile est. PRÆNOT. 1. quod dixi: si solvenda æstimatio (neque enim ex generalitate hujus legis inferre licet, illam præstando indifferenter liberari debitorem) quod contingit (1) si rem debitam ejusdem bonitatis & generis reddere non sit possibile debitori. (2) Si morâ commissâ, creditor ad æstimationem agere, aut (3) à debitore oblatam acceptare malit. PRÆNOT. 2. Si dies certa solutioni faciendæ præfixa fuerit à partibus, æstimationis determinationem ei accomodandam esse, ex l. n. liquet, (Quod idem de loco haberetur, scilicet quod ejus loci æstimatio sit attendenda, de quo expressâ vel tacite convenit; si verò de nullo convenerit, ejus loci, ubi res petita.) Verùm opus & labor est, si nullum tempus adjectum fuerit? Responder lex nostra: si dictum non esset, quo tempore vinum redderetur, quanti tunc, cum petiturum esset. Resolutio dependet ex verbo: Petiturum. Utrum illud de petitione extra- an judiciali intelligendum sit? Pro utraque pari numero & auctoritate certant Doctores. Verùm ut de judiciali duntaxat petitione



rione per liris contestationem illa verba accipiamus, suadet (1) quod  
 JCrus in *b. l. de hac ab initio* quærat, in verbis: *per judicem petitum*  
*esset*. Hinc ut responsum interrogationi conveniat, sequitur, postre-  
 ma verba non nisi de judiciali petitione accipienda esse; ut ea sit mens ac-  
 sensus JCrus: si quæritur: cujus temporis æstimatione inspicienda sit, an li-  
 ris contestatæ, an vero latæ sententiæ? inspiciendam esse æstimationem  
 liris contestatæ, nisi dictum esset, quo tempore vinum mutuo datum red-  
 deretur. (2) confirmatur hæc interpretatio per *l. fin. de condit. tritic.*  
*ibi: cum judicium peteretur*. Confer. omn. Fachin. 2. *Controv. c. 74.*  
 (3) Accedit, quod *petitio* propriè accepta tantum de *judiciali* exaudien-  
 da sit, ante litem contestatam enim non tam *petere*, quam *petere* velle  
 dicimur, Litis autem contestatio est initium & lapis angularis judicii.  
 V. Schambog. in prælection. Zoëli ad *b. r. n. 27*. Et hoc ita in contra-  
 ctu stricti juris, de quo agit *l. n. & d. l. fin.* (Secus est in contractibus  
 bonæ fidei, in quibus tempus rei judicatæ seu sententiæ inspiciendum  
 est *l. 2. §. 3. Commodati*. Ratio differentiæ vid. apud Zoëli. ad *b. r. n. 28.*)  
 Obstat (1) *l. 8. §. de condit. furt. l. 3. de condit. tritic.* Ubi dicitur il-  
 lud tempus inspiciendum, quo res plurimi fuit, sive liris contestatæ,  
 sive sententiæ, sive interitus. *Be. d. l. 3.* expressè loquitur de casu, ubi  
 mora intervenerit, alioqui contrariaretur immediatè subsequenti *d. l. fi-  
 nali*. De quo & intelligendus *d. §. 1.* siquidem fur quoad rem ablaram  
 semper est in mora. Obstat (2): atqui per interpellationem etiam  
 extrajudicalem debitor constituitur in mora. *l. 32. ff. de usur.* Videtur  
 hic nodus Gorgonus. *Be. Fachin. l. c.* Debitor per interpellatio-  
 nem extrajudicalem in mora constitutus eam purgare potest ante litem  
 contestatam *l. 73. §. fin. & l. 91. §. sequitur de V. O.* ut perinde non sit sta-  
 tuendum de mora, quæ per interpellationem incurritur, quod de ea,  
 quæ incurritur ob lapsum diei, de qua *d. l. 3. de cond. tritic.* secundum  
*l. fin. eod.* Verum non videtur relevans hæc solutio: quid enim, si ex  
 post liris contestaretur, & vini pretium interea decrevisset? annon mora  
 faciet haberi æstimationis rationem, quanti ab eo tempore res fuerit  
 plurimi? mora enim nocere debet moroso, *l. hominem ff. mandati*. ita  
 sentit Zoëli. *d. l. n. 31. inf.* sibi hac in re multum intricata non ipsa con-  
 stans. Videtur itaque dicendum, quod interpellatio congruo loco &  
 tempore facta ponat in mora, quando reus non habet justam causam  
 litigandi & litem contestandi, secus verò, si eam habeat, atque ita  
 declaranda *l. n. & d. l. fin.*

PROBLEMATATA JURIS PUBLICI.

61. **U**trum Reip. Rom. German. sit forma mixta ex Monarchia & Aristocratia? 26. U. Elector in eligendo Regem Rom. sibi ipsi immediatè votum dare possit? 63. U. Regi Roman. vivente Imperatore propria, an vicaria sit Majestas? 64. U. sit Universitas Europæ privilegus insignior nostrâ MOGUNTINENSI? 65. U. Vicarius Imperii competat jus confirmandi Academiâs? 66. U. Studiosi ignavi gaudeant privilegus Academicis? 67. U. iis competat privilegium fori etiam in causa reconventionis? 68. U. Imperatori ab observatione Capitulationis in casu necessitatis recedere liceat? 69. U. Doctores Bullati gaudeant privilegus in Academiis promotorum? 70. U. Comes Palatinus proprios liberos legitimare valeat?

ANALYSIS VIII.

Ad L. Non dubium 5. C. de Legib.

**P**roposita l. non dubium. dubiis prope infinitis obnoxia, decisio sequenti absolvitur quaestione: *Utrum actus contra legem prohibentem gestus sit nullus eo ipso, h. e. etiam si clausula irritans legi adjecta non fuerit?* Ita sane apertissimis terminis decidit l. nra: *Nullum enim pactum, nullum contractum, &c. inter eos volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. & mox: ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat. & porro: Ut ea, quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.* Verùm claritati huic nebulas ostendunt vix dissipandas plurima juris loca, quibus è converso dilucidè innuitur, multa quidem legibus esse prohibita, facta tamen tenere. Sic prohibitum mutuum respectu filior. per SCrum Macedonianum. Fidejussio mulieri per Vellejan. Item dolus, merus &c. Dolo tamen gesta interdum, ut in contractibus stricti juris, metu autem regularitar valent. Sic porro sententiam ferri sub conditione prohibitum est, lara tamen tener. l. i. § quando appelland. longè plura V. in Glossa ad b. l. In enodanda hac difficultate sanè maxima mirum in modum se torquent Auctores, ut videre est ap. cit. Gloss. & Zoëf. ad b. t. n. 84. qui subtiliter accipit d. l. non dubium. de lege prohibente actum quoad ejus substantiam seu formam  
sub-

*substantialem*, secus verò si prohibitio concernat *formam accidentalem* seu circumstantiam circa modum, tempus, &c. Sed non potui hactenus à me imperare, ut huic Zoëli sententiæ *l. nra.* generalitatem clarissimam distinctione hac minimè legali nimium quantum coangustanti subscriberem, nec enim (1) urgens est ejus argumentum: multa sunt prohibita per leges, quæ facta tamen tenent: ergo in regula & thesi contra legem prohibentem gesta, deficiente clausula irritante, valent. Sicut non circa elenchum argumentarer: multi actus merù iniri sunt nulli: (quos V. apud eund. Zoëli. ad *tit. quod metùs causa. n. 4. & seqq.*) ergo actus in regula gesti sunt nulli; quod tamen benè negat Zoëli. *cit. l. (2)* Obstat Zoëlio: lex prohibet sententiam ferri à iudice stante. Item de nocte, die feriato. &c. & lata est ipso jure nulla. *l. 6. §. fin. de postul. c. 24. & de offic. deleg.* quæ prohibitio tamen tantum concernit circumstantiam circa modum, tempus, &c. Redit fors Zoëlius 1. limitavi secundum distinctionis membrum *l. cit. n. 51. : nisi lex ipsa irritationem inducat.* R. Ego, eo modo & per II. obstantes, actum contra legem gestum valere asserentes, limitatur regula in *l. nra.* posita. Redit 2. in dictis casibus modus &c. spectant ad solemnitatem seu formam substantialem. R. Sic solvit obscurum per æquè obscurum, redit enim quaestio non minus intricata: *Quandonam modus, tempus, &c. concernant actus substantiam?* Analogæ proinde genuinæ menti *l. hujus* est sententia (quam & tenet ipse Zoëli. *in de rescript. n. 15. & ad ff. b. t. de pactis. n. 17. inf.* & alibi) poni in ea regulam generalem: actum contra legem prohibentem gestum, etiam deficiente clausula irritante, esse eo ipso nullum. Legis enim verba solem, quod ajunt, in manibus portant, nec ab hac regula recedendum, nisi ex verbis aut mente legis manifestè constet, nolle eam, actum contra prohibitionem factum irritari. *confer. Epitome nostra de Similitud. & Identit. ration. legalis §. 2. per tot.* Et sic nihil obstant plurima juris loca supra relata. Mutuum enim contra SC. Macedon. contractum valet, cum sit prohibitum, principaliter in odium mutuantis, ubi rationi legis prohibentis satisfit eum mutui dati exactio-  
ne destitui. Eodem modo sufficienter consultitur fragilitati mulierum, per competentem eo nomine exceptionem. Idem est in dolo, ubi competet vel actio vel exceptio *l. dolo. C. de inutil. stipul.* nec aliud quoad merum, qui enim actionem habet, rem ipsam habere censetur. *l. qui actionem ff. de R. J.* Quod de sententia objectum, habet rationem, ut eo illibator maneat potestatis publicæ auctoritas. \* Sed QUÆRITUR: *Quid de Jure Canonico?* R. eodem modo contra Zoëli. *cit. l. n. 52.* neque

que enim inter jura hæc statuenda est differentia, nisi clarè pateat, & probatur clarè ex *c. 64. de R. J. in 6. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Quodsi clausulam irritantem subintelligas, regulam hanc Domitianismi arguis. 2. Jus Canonicum non dedignatur mutuari declarationem à Jure Civili scil. *l. non dubium* in verbis cit. *licet legislator prohibuerit tantum* &c. *c. 1. de N. O. N.* Non obstat *c. 16. de Regular.* ibi: *Multa contra legem fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinent firmitatem.* Sic matrimonium contractum non præmissis in Ecclesia denuntiationibus, vel in fraudem priorum sponsalium de futuro, vel cum voto simplici castitatis, aut alio impedimento impediendo, illicitum est & peccaminosum; inritum tamen valet. V. P. Engel *de constitut. n. 49. Zoëf. d. l.* Varias conciliationes affert König *de eod. n. 26.* sed quæ difficultatem nihilomagens exhaustiunt, nec quæstionem redire impediunt. Alii certà regulà rem hanc definiri posse diffidunt. Nos intrepidè respondemus *ut supra* scil. regulariter actum contra juris prohibitionem celebratum etiam eo ipso esse irritum, nisi specialiter aliquo jure sustineatur, vel ex circumstantiis, aliisque conjecturis colligi possit, mentem legislatoris fuisse, actum solummodo prohibere, non etiam irritare; & hoc ut inter loca hæc eviretur antinomia, pro qua tollenda solutio multùm semper est privilegiata V. *Epirome nostra Jurid. de siml. & ident. rationis legalis §. 2. n. 3.* Atque ita facile est respondere ad contraria, nimirùm *d. c. 16.* obtinere in casibus, in quibus habetur decisio, vel de mente legislatoris præsumptio. Ut in exemplis supra pro altera parte addictis apparet. Sicut & illis, quæ noviter fuscè obmovet P. Pichler ad *tit. de constit.* ex his facili negotio poterit obviari. Difficultas adhuc superat non facile superanda: quo pacto sustineatur, quod dicitur in fine *l. nostræ*, nec juramentum actui lege prohibito adjectum ullius esse momenti. Quæstionem ita adornare placet: *Utrum juramentum confirmet actum de jure positivo nullum?* PRÆSUPPONENDUM; esse differentiam inter hæc duo: Juramentum simpliciter est servandum, & juramentum confirmat actum. In posteriori casu illud non solum producit vinculum religionis, sed simul vinculum justitiæ, quo alteri simul jus quaeratur. In priori verò casu solummodo operatur obligationem religionis, juxta illud: omne juramentum servandum, quod sine dispendio salutis servari potest. Exemplum in usuris juratò promissis est in *c. debitores 6. de jurejur. V. Zoëf. de eod.* Hoc præsupposito; R. ad Q. affirmativè, id quod de *Jure Canonico evidens* videtur ob *text. capit. cum contingat. 28. d. 1. & c. quamvis 2. de pactis*

*pactis in 6.* quidquid pro more suo contra nitatur Klerle *in disputat. Aca-*  
*demicus*, cui Doctōri carerōquin viros quosque intimā Jurisprudētiæ  
 notitiā instructos mordaci calamo laceſſere unicē in deliciis positū est,  
 ea loca de obligatione solius juramenti operosè captans. De *Jure Ci-*  
*vili* idem suadet textus in famosa *Auth. Sacramenta puberum & l. 1 si ad-*  
*versus vendit.* confer eleganter Schambog. ad Inst. *L. 4. p. 130. vers. ob-*  
*serva. 3.* Quibus jam ediametraliter contrariarantur cit. verba finalia  
*d. l. non dubium.* sedet Zoëf. *Legem nrām.* quoad hæc verba rectè acci-  
 pi de actibus ita per legem prohibitis, ut delictum ponant, quod tunc  
 juramentum subjunctum sit contra bonos mores naturales, & eatenus  
 nullum *c. non est obligatorium 56. de R. J. in 6.* Verūm hæc solutio  
 est incompatibilis cum connexionē *hujus legis*, ut cuilibet parebit, &  
 ab hac opinione recedit ipse Zoëf. ad *ff. t. de jurejur. n. 79. sub fin.* Ut  
 dicendum sit, Imperatorem se in materia hac peccati per *d. aub. & d.*  
*l. 1. conformasse* Juri Canonico, & *l. nostram* quoad hunc passum cor-  
 rexisse. Sed nunc re meliùs perpensâ mutavi mentem v. COLLEG. *nr.*  
 POLEM. CONTROV. XCVIII.

## PROBLEMATA JURIS PUBLICI.

71. **U**trum Princeps Imperii donum habens Francofurti, tempore Electio-  
 nis Imper. illâ excedere teneatur? 27. U. Constitutio A. B. c. 7. §  
 c. 25. ad cæteros Principatus pertineat? 73. U. admittenda sit tutela Ele-  
 ctoralis testamentaria? 74. U. uno Electore ad Electionem Regis Rom. ex  
 contemptu non vocato, irritari possit electio? 75. U. duos Electoratus quis  
 simul habere possit? 76. U. Austregarum jurisdictio sit ordinaria? 78.  
 U. earum origo Maximiliano I. adscribenda? 79. U. Principes Imperii in  
 suis testamentis solemnibus juris Communis astricti sint? 80. U. per alium  
 vatidè restari possunt?

## ANALYSIS IX.

*Ad L. Quoties 15. C. de Rei vindicat.*

**L**egis hujus fecundissima Controversiarum matris CASUS est: Titius  
 rem suam vendidit vel donavit Sejo, sed non tradidit, postmo-  
 dum eandem rem vendit vel donat Mævio eique simul tradit. **QUE-**  
**RITUR:**

RITUR: *Quis præferatur?* Idet *lex ma.* cui res simul tradita, scil. *Mævius.* Venditor tamen hoc casu non erit immunis à crimine *stellionatus*, l. 3. *de Crim. Stellion.* & priori emptori ad omne interesse tenebitur. Controversias verò ex *legis hujus* decisione (quando ea, quibus in *Casibus* & *personis* obtineat, &c.) oriundas, cùm ex professo solidè resolutas *Zoësius* ad *b. t. n.* 7. & *seqq.* hinc reproducere supervacaneum foret.

## PROBLEMATATA FEUDALIA.

81. **U**trum femina succedat in feudo franco? 82. *U. Vasallus alienans rem feudalem, dubitans eam talem esse, cadat feudo?* 83. *U. femina ob existentiam masculi ad feudum semel non admissa, in perpetuum maneat exclusa?* 84. *U. tricennio præscribatur feudum in rebus Ecclesiasticis?* 85. *U. Expectativa rectè concedatur in feudo, cujus possessor habet liberos?* 86. *U. investitura coram extraneo communi errore pro Patriæ habitò, facta valeat?* 87. *U. Parricidium privet feudo?* 88. *U. Quoad tempus petendæ renovationis distinguendum sit inter Vasallum actum militantem & alium?* 89. *U. legitimati per subsequens matrimonium succedant in feudo pro filiis ex legitimo thoro natis concessò?* 90. *U. Clericus investituram coram paribus & extraneis simul facere teneatur?*

## ANALYSIS X.

*Ad L. rem. 2. C. de rescind. vendit.*

**I**nter causas, quæ emptionis venditionis dant rescissionem, est læsio excedens dimidium justii pretii, de qua agit solennissima, d. l. 2. Ad cujus læsionis computationem rectè instituentam, \* **PRENOTANDUM I.** Justum rerum pretium duplicis esse generis, scil. *Legale*, & *Naturale*. *Legale* est, quando lege vel edicto Principis aut Reip. taxatum est. Et hoc consistit in indivisibili, ut citra injustitiam augeri aut minui nequeat, & in hoc si læsio contingat qualiscunque, agi potest. *Naturale* est, quod communi hominum æstimatione ac judicio statutum est. Et hoc recipit latitudinem, intra quam solet triplex porro assignari pretium: *Infimum*, sive *pium*. *Medium*, seu *moderatum*. Et *summum*, seu *rigorosum*.

rosam. Germanicè: *Der geringste, mittlere, und höchste Anschlag.*  
 Atque hæc latitudo justii pretii, pro qualitate rei, modo est latior,  
 modo est angustior: quò enim res pretiosior, eò & major est  
 latitudo. v. g. Si pretium medium alicujus rei sit *decem*, rigorosum  
 erit *undecim*, aut paulò plus, Infimum *novem*, aut paulò minus. Et  
 sic latitudo justii pretii in hoc casu consistet in *tribus*. Si autem *medium*  
 alicujus rei sit *centum*, summum erit *centum quinque*, Infimum verò  
*nonaginta quinque*, hócque casu latitudo justii pretii consistet in *decem*.  
 Dixi: *aut paulò plus*, aut *paulò minus*: quanta enim sit inter tria hæc genera  
 distantia, tam exactà regulà comprehendendi nequit. Illud tamen expedi-  
 tum est, quòd, si læsio se teneat intra dictam latitudinem, seu quam-  
 diu non transfiliuntur fines summi & infimi pretii, emptio venditio justa  
 sit, & non tam læsio, quàm industria quædam œconomica dicenda,  
 etiam in foro interno licita *L. 16. de minor.* Si verò transcendat istam  
 latitudinem, nondum tamen excedat dimidium justii pretii, committi-  
 tur quidem injustitia obligans in conscientia vel ad restituendum exces-  
 sum, quando ultra summum exactum est: vel ad suppleendum defectum,  
 quando infra infimum datum est; necdum tamen comperit remedi. *b. l.*  
 \* PRÆNOT. 2. Læsionem ultra dimidium justii pretii respectu læsi em-  
 ptoris, non ira, juxta vererum computationem, ineundam esse, ut ul-  
 tra dimidium læsus dicatur emptor, si rem valentem *decem* emerit *se-*  
*decim*; sed tunc si pro re valente *decem*, dederit *viginti* & aliquid, etiam  
 obolum ultra. Widmann. *de contract. tit. xi. n. 18.* ratio dilucida est:  
 Emptor enim in tali casu habet rem emptam valentem *decem*, ergo si  
 dederit *sedecim*, læsus tantum est, quoad *sex*, & sic nequidem quoad  
 dimidium (deberet enim dedisse *viginti*) multò minùs ultra. Quamvis  
 prior computatio sit praxi recepta. Vid. Lauterbach. *b. t. §. X.* In ven-  
 ditore res expedita est, si scilicet pecunia quam accepit, non est tanti,  
 quanti est rei suæ, quam alteri dedit dimidium; ut si pro re valente  
*decem*, minùs quam *quinque* accepit. confer. Zoëf. ad *b. t. n. 6.* qui tam-  
 en numerus valdè mendosus viderur & in *lin. 16.* versu: *que etiam. pro*  
*venditore* legendum *emptore*; & pro *valor ei, valorem rei* & pro *in em-*  
*ptore, in venditore*, prout examinanti liquebit. Cæterum cum cit. ce-  
 leberrimus Zoëf. porrò quæstiones plurimas ad *l. hanc* pertinentes toto  
*b. t.* solidè pro more suo decidat, eò *L. B.* remittimus.

PROBLE-

PROBLEMATA CRIMINALIA.

91. **U**trum *Judex in causa criminali strictè capitali, neglectâ privatâ scientiâ ullo in casu acta sequi teneatur?* 92. *U. Adulterium committatur in sponsam alienam de futuro?* 93. *U. ex præsumptionibus quis condemnari possit in causa criminali?* 94. *U. in defensionem rerum impunita sit cædes?* 95. *U. pœna sit minuenda, ubi à patrato scelere multum tempus intercessit?*

ANALYSIS XI.

*Ad L. Barbarius Philippus 3. de offic. Prator.*

**C**Asus legis hujus, cujus decisio tam in foro Canonico quàm Civili uti & conscientiæ est utilissima, à Doctoribus tamen obfuscatæ, est sequens: Barbarius Philippus sub tribus Tyrannis, id est Triumviris magistratum gessit, servus alioquin & assentator: & hoc maximè nomine provectus, quod ex Antonii Sodalibus & Saltatoribus esset: cujus Antonii gratiâ etiam functus est præturâ. Hunc insolescentem, purpuræ honore tumidum & in foro Romano jus dicentem adveniens, à quo aufugerat agnovit Dominus, qui tacitè præcedens eundem cum summa pompa exultantem & magistratu lascivientem ex adverso togâ apprehendit, & Ave inquit, proprio & servili eum compellans nomine. Homo ex ea re sanè conturbatus, & Dominum agnoscit, & ut sileat, obtestatur, inde domum ducit, & maximo pretio persoluto se redimit, ira Suidas, ut refert Antonius Contius *Disputat. jur. civil. l. 1. cap. 2.* Silentium quidem Barbarius petiit, at silentio factum hoc premi non potuit. **Q**UESTIO enim exorta fuit: *An ea, quæ edixit, quæ decrevit, alicujus valoris essent & momenti?* Certum est, quod Barbarius, utpote servus, Prætor non fuerit; si enim talis fuisset, fuisset vel spectato jure *dispensativo* vel *ordinario*: Non hoc, quia erat Servus, qui jure civili est nullus *l. 32. de R. 7.* nec civilibus fungitur officiis. *l. 12. ff. de judiciis.* Nec jure *dispensativo*: quia *si populus Rom. servum esse scisset, liberum effecisset*, ait *L. nostra.* Infertur: cum igitur eum nesciverit Servum, cum Præturam ei detulit, liberum non effecit. Unde videbatur dicendum, quod ea, quæ decrevit ac edixit Barbarius, nullius essent



sent roboris. Responder tamen Ulpianus *h. l.* Et verum puto, nihil eorum reprobari, hoc enim humanius est. Unde patet ejusmodi acta esse nulla de jure: de equitate tamen valere. Inde nova & celeberrima exsurgit QUÆSTIO: in quo consistat equitatis hujus ratio? Sunt Doctores, uti dictum, qui eam ponunt in errore communi juxta illud: *Error Communis jus facit*, quod sanè Brocardicum à Jure remotissimum. Vid. Zoëf. ad *b. tit. n. 11.* & STR. *in Comp. Laut.* Dicendum itaque prædictam equitatem fundari in quatuor requisitis, quæ sunt (1) Titulus putativus collatus ab eo, qui jus conferendi habet. (2) Utilitas publica. (3) Error communis. (4) Impedimentum jure humano dispensabile. Quorum unum si deficiat, gesta ab inhabili, utur publice pro habili reputato nullius sunt valoris. *c. 9. de elect.* Hinc patet resolutio quæstionis, quam miror à Doctorebus tam operose ventilari: *Utrum Instrumentum confectum à Notario nullo, h. e. non creato, publicè tamen pro tali habito, valeat?* Affirmat Bartolus cit. à Brunne-  
mann. hic. Sed Negatur ob defectum Tituli putativi, &c. Unde si proponatur quæstio in his terminis quod sit creatus ab eo, qui habet potestatem creando, sed in personâ sit vitium, utriusque obtinebit decisio *legis nostræ.* QUÆRI possit ulterius: *An & habeat locum in delegato?* Lex *na.* quidem loquitur de judice ordinario, cum verò ratio fundata in 4. requisitis & obtineat in delegato, idem quoad hunc ex identitate rationis dicendum est. confer. *cit. Epitome nostræ. §. 5. & seqq.* QUÆRI-  
tur: *An & in foro Canonico & Spirituali ejus procedat decisio?* Quod indubie *Affirmandum* ex prædictæ rationis ac utilitatis identitate, quæ consistit in evitando gravissima incommoda ac scandala, securura, si directo impedimento gesta per personam publicam, hæctenus pro tali habitam retractarentur non sine immerentium præjudicio ac Reip. confusione V. eleg. Navarr. *in Manual. c. 19. n. 10.* Cui accedit arg. sumptum à contrario ex *c. 24. de Sent. & re judic.* confer. Zoëf. *cit. l.* Hinc Episcopus electus & confirmatus, sed occultè excommunicatus, aut alias inhabilis validè excommunicat, cæteròsque jurisdictionis actus rectè exequitur. V. Zoëf. *de sent. excommunicat. n. 32.* QUÆRI-  
tur denique: *Utrum & dicta dispositio locum habeat in foro conscientie?* Quod pariter *Affirmandum*, cum utrumque forum quoad jurisdictionem ejusdem repuretur rationis. Imò suffragatur major ratio, ut solè deducit Zoëf. *cit. l. n. 16.* Non obstat *c. 54. de Elect.* Nam loquitur de impedimento notorio, atque ita deficit 3. requisitum, scil.  
Error

*Error Communis.* Inde confessiones Parocho tali factæ paterfacto vitio reiterandæ non sunt. Licer aliud quoad Parochum intrusum seu omni titulo destitutum dicendum sit. V. Dian. p. 5. r. 5. R. 16. & Theologi passim.

PROBLEMATA CAMERALIA.

96. **U**trum Jurisdictione Camera Imperialis sit ordinaria, an delegata, an neutra? 97. Utrubi, si in Camera quidem prius impetretur citatio, altera autem pars citationem tardius in Aula Cesarea impetratam citus infirmari caret, lis pendere dicatur? 98. U. Persona Cameralis etiam in Aula Cesarea conveniri possit? 99. U. in possessorio Feudorum Regalium judicare queat Camera? 100. U. ex adjecta obligationi clausula: mit Recht. contra immediatum Austregis non gaudentem impetrari possit mandatum C.C.

ANALYSIS XII.

Ad L. Diffamari. §. C. de ingenuis manumissis.

**F**Amosissima h.l. in favorem ingenuorum caverit, ne eorum status (quod ex identitate vel saltem similitudine rationis ad famam aut quavis jura alta competentia, Praxi quotidiana suffragante, recte extenditur. V. Epitome nostra de similib. & ident. rationis legalis §. 1. per tot. & §. fin. n. pen.) errore aut malignitate alicujus diffametur; eaque diffamans speciali ratione coercetur, ut mox patebit. PRÆNOT. (1) quod diffamare nihil sit aliud, quam alterius famam aut honorem vitiorum commemoratione lædere, seu similiter famam de aliquo spargere, ex quo NB. præjudicium patrimonio nostro ingeritur aut ingeri timeatur, aliòve modo jus nobis quæsitum læditur aut lædi potest. PRÆNOT. (2) duplex ex h.l. esse judicium: Primum præparans seu diffamationis, in quo de veritate traductionis & impositione termini, aut perpetui silentii agitur, i. e. ut prius à diffamato aliquoties probatâ diffamatione, post impetratâ citationem diffamator coram Judice citatus compareat, ut ea, quæ temerè divulgasse accusatur, legitime in præfixo seu hominis termino neget aut fateatur, vel diffamare desinat. 2dum judicium vocatur Præparatum seu causæ principalis, in quo ante lapsum præfixi à Judice diffamationis termini, de omni jure suo, quod in causa competere sibi diffamator putat, coram competente judice diffamati

litrem

litrem movet & prosequitur V. Carpz. *Process. t. 20. A. 3. §. 5. & Process. Crim. p. 2. q. 97. n. 76.* In *Primo* diffamationis iudicio: *An diffamatus Actor vel reus sit?* mirifice inter DD. controversitur. R. eum nec simpliciter actorem, nec reum esse, sed ab utroque aliquid, a posteriore tamen plurimum participare, per accidens verò tantum actorem, propriè verò reum esse. Nec Obstat *c. forus 10. §. accusator. 2. de V. S.* ubi qui ad causam vocat, actor dicitur. R. enim, quod diffamatus se solum tueri quærat, neque is videtur in jus vocare, qui offert se ipsum paratum defendere. *l. 41. de in jus voc.* Et aliud est in tantum vice actoris fungi, ut adversarius agere reneatur vel filere; aliud purè actorem esse, qui habet jus persequendi in iudicio, quod sibi debetur. *Pr. Inst. de Act.* quod diffamatus non habet, sed si aliquid jus diffamator habere putet, petit *accidentaliter* diffamatus, ut conveniente actione id contra se prosequatur. *confer. Comp. m. System. p. 68.* In *2do* iudicio causæ principalis diffamator indistinctè actor est; nam diffamando quis ad iudicium tacitè provocare & agere velle intelligitur. Quæ est Communis DD. ac verba expressa in *O. C. p. 2. t. 25. vers. Auch nicht andersl. Gail. 1. O. 9. n. 4.* Cum verò usus constitutionis fundatæ super *l. diffamari.* sit frequentissimus, lubet ejus Processum conformiter Ordinationi Camerali (cui se alia iudicia inferiora, quantum illorum patitur commoditas, in omnibus conformare tenentur *O. C. p. 2. t. 31. §. 9. & R. N. de a. 1654. §. Es sollen. 137.*) brevibus proponere. Ubi sciendum, quod de Jure Communi in omni genere causarum civilium & criminalium locum habeat; Ordin. Cam. verò *p. 2. t. 25.* in certis tantum casibus, scil. In *Griedbrüchigen / Schmah, und andern dergleichen Sachen, in denen solche Diffamation gefäbelicher betrüglicher Weiß, oder in andere Wege dem andern Theil zum Nachtheil und Beswehrung geschehen.* Requisita hujus constitutionis, siquis desuper in Camera Imper. citationem impetrare velit, tria sunt: 1. Ut diffamatus Camerae jurisdictioni immediatè subdit, vel ratione personæ, vel causæ; quod 2. contingit casibus. (1) Si diffamatus immediatus sit & privilegio Austregarum gaudeat, atque nisi eo gauderet, causâ principalis in Camera disceptanda esset. (2) Si diffamatus quidem Mediatas sit, sed causâ alias ad Cameram pertineat, Exempl. V. in *Blum. Proc. Cam. T. 36. §. 11.* Ratio autem *primi* hujus requisiti est, quod diffamatus licet in puncto diffamationis vices actoris sustineat, tamen in puncto causæ principalis reus sit: & è diverso, licet diffamator in puncto diffamationis sit reus, in puncto tamen causæ principalis partibus

ribus actoris fungatur, ac proinde forum Rei, in quo causa principalis tractanda, sequi teneatur, Gail. 1. O. 10. n. 1. II. Ut sit diffamatio dolosa, in magnum diffamati præjudicium tendens, idque duxerit in causis fractæ pacis, injuriarum, aliisque similibus causis, quibus ejusmodi diffamatio dolo malo, inve necem alterius intervenisse dicitur. d. O. C. V. Blum. c. 1. n. 14. & seqq. III. Diffamationis probabilis notitia doceatur, d. O. C. & R. N. §. 77. ibi: Durch schriftlich oder andere glaubliche Urkund und Anzeige etlicher massen beygebracht und erwiesen. Quod in hac constitutione speciale est; cum alias ad obrinendas citationes in Camera nudis narratis supplicantis fides habeatur. Gail. 1. O. 10. n. 7. Positis his requisitis decernitur citatio. V. Mev. p. 9. D. 98. Ad quam \* si diffamator in termino citationis compareat, tunc aut confitetur, aut negat diffamationem. Priori casu distinguendum est: Vel causa principalis, cessante Austregarum aut alio privilegio, ad Cameraam spectat, & diffamator statim actionem suam in judicium deducere teneatur, omissoque diffamationis judicio in causa principali proceditur. V. Deckerr. ad Uffenbach. c. 10. §. 18. Vel ad alium judicem pertinet, & potest à Camera emanere & causam coram illo judice prosequi. V. tamen Textor. ad R. I. Disp. 5. Th. 6. & seqq. Posteriori casu diffamato incumbit probatio, qua non præstita diffamator absolvitur, diffamato in expensas condemnato. d. O. C. \* Diffamatore in termino non comparente, diffamatus petit proclama, quo decreto & 6. Juridicis elapsis, secunda citatio postulanda est. Mynf. 3. O. 86. ad quam si rursus emanear, ipsi prævio proclamare & lapsis 6. Juridicis ad instantiam diffamari perpetuum silentium imponitur, sequenti tenore: Das Beklagtem ihne Klagera beschehener massen zu diffamiren und außzuschreyen nicht geziehmet; sondern daran zu viel und unrecht gethan habe, und ihme deswegen ein ewig Stillschweigen aufzulegen sey, als wir ihme solches hiemit auflegen, darzu in die Gerichts-Kosten, et Celeberrimum hoc remedium fufius tractatum V. apud laudatum Blum. Process. Cam. d. r. 36. & Sententias super eo publicatas apud eundem. Chil. Sent. Cam. n. 209. 744. 852. 926. Deckerr. in Monum. Lett. Camer. antiq. ad O. C. p. 2. r. 25. Gylmann. Supplic. Cam. T. 1. P. 1. T. 9. Roding. Pandect. Cam. L. 1. r. 14. Huic constitutioni affine est remedium L. si contendat. 28. ff. de fidejuss. quæ quidem expressè tantum de divisionis exceptione loquitur, & disponit, ut uni ex pluribus fidejussoribus, cui comperit beneficium divisionis, illud opponere liceat & per modum actionis, officium judicis implorando, & per modum exceptionis, actioni adversus illum à credito-

tore institutæ eandem opponendo; ex similitudine tamen rationis hoc remedium ad alias similes exceptiones benè extenditur. V. *Epitome nostra de Similitud. & identitat. rationis Legalis* §. 1. per tot. & est communis DD. V. Zanger de except. p. 3. c. 26. n. 129. & seqq. Ut juxta illud generatim reus, actore agere cessante, molestari timens possit implorare officium judicis petendo, sibi declarari exceptionem competere, & certum actori præfigi terminum ad agendum, idque illo non faciente, perpetuum ipsi imponi silentium. Blum. d. r. 3. 6. §. 26. Finis hujus remedii est, ut reus exceptiones suas per judicis declarationem salvas retineat, & illius defensio, actore cunctante, non difficilior & deterior reddatur. Quod formulas verò supplicandi super *b.l.* attinet: remedio hoc experrurus, Judici causæ ac Rei competenti offerat supplicam pro impetranda actoris citatione, actore in termino peremptorio non comparente, accusatâ ejus contumaciâ in causâ exceptionis proceditur. Actore verò comparente, & actionem instituyente processus ex *d.l. si contendat.* extinguitur, & in causâ actionis proceditur. V. Laurerb. *Disput. ad d.l. 28. c. 8. & Comp. nr. System. d.l.* Formulas ejusmodi in Camera Imper. supplicandi vid. in Blum. *supplicat. Camer. T. 13. N. 31. & 33.* Et, unâ cum requisitis, *ad b.l. Hoffmann. supplic. Camer. T. 12. N. 3. 4. & seqq.* Differentia inter hoc remedium & *L. diffamari* est, quod in hoc unicum sit judicium scil. causæ principalis, eo quod hic nulla præcesserit diffamatio. In remedio *l. diffamari.* autem duo sint judicia; ut dictum *supra.* in quo adhuc ulterius differant & conveniant vid. apud Blum. *d. r. 36. circa fin. & Comp. nr. System. pag. 68.*

F I N I S.



E 3

AD

## AD DOMINUM DEFENDENTEM.

Ingenii dotis, & *verè nobile* mentis  
 Prodis opus, thesèos perraræ dum vice leges  
 Ponere *dannatas* placuit, quæ Publica Jura  
 Et priyata tenet, pugilem quæ provocat hostem,  
 Nam thesibus *centena* tuis nunc ora resistunt,  
 Tu verò ingenio præstans, præstantior arte,  
 Intrepido nifu pugnantium tela retorques,  
 Gratulor! omne tibi felici fidere cedat,

Ore & affeCtV rIbI neq-pro Mo VenDæ  
 appreCui Vr

J. A. Lic.

AD  
 NOBILISSIMUM DOMINUM AUCTOREM.

## EPIGRAMMA.

Quis Juris nodos & Legum enigmata solves?  
 Doctorum ingeniiis *dammificata* suis?  
 Jus Poleos, Canonum, Civilia, Publica, Gentium  
 In TE, ne memorem cætera, sufficiunt,  
 Antea *Barbarius* Lex dicta, PHILIPPE, *Philippus*,  
 Justiniani est *mollior* ingenio:  
 Gallus deplumas *Gallum?* \*\* hunc *Lupus* \*\*\* esse timebat:  
 Grandis hic est ausus, grandius inde decus!  
 Lex *Lecta*, à paucis *Doctõribus* intellecta  
 Rite fuit calamo discooperta Tuo.  
 Sed quid *Lex Vinum* hic? *Oleum* Lex \*\*\*\* esse decebat,  
 Plus olei ac *vinu*, *sobrius* usque, coquis.

Quan-

\* Juvenal. Satyr. 8. & L. fru. C. de LL. \*\* V. Supr. ANAL. 4. ad  
 L. Gallus. \*\*\* JCrus famosus. \*\*\*\* Seu Tit. de Trit. vin. Oleo  
 legat.

Quantum suspicatur docto qui rarior aeo

Editus est *Simili de Ratione Liber*? †

Justiniani gaudent, sibi Patria plaudis,

Publica Res sperat commoda plura. Vale.

*Ita armatus apphant*

J. C. R. J. J. c.

† Dni Auctoris *VINDICLÆ JURIDICÆ pro Similitudine & Identitate Rationis Legalis*. Nunc in *Epiromen* redacta.

AD

PRÆSTANTISSIMUM D. DEFENDENTEM.

*Gallus nunc sua jura dabit.*

UT bene conveniat cum *Jure Sophia*, quid oblit?

Syllaba duntaxat nominis oblit? obest.

En M TOLLe meo de nomine: *Gallus* amico

Gratulor, & *Gallo* jure *Sophia* fayer.

Nunc pariora suis *Gallus* crepitanribus alis

Chamat: Io! *Gallus nunc sua jura dabit.*

Non ita difficilis *Gallus* Doctoribus unquam est.

Quin soleat legem solvere *Gallus* eam.

*Nunc sua jura dabit*; sic excitat ergo jaçentes

Somnoque oppressos, increpat ipse pigros.

*Ita animo patriotico*

J. H. MOLTHAHN, CAN. NORD.

Physic. Aud.

ANIGMATUM ET SUBTILITATUM JURIS MANTISSA.

I L Ex novi juris constitutiva (quod verissimum est) actum præteritum pro objecto habere potest. Sed qualem: & quis casus?

II. Trans-

II. Transactio errore infirmatur, l. 33. C. de Transact. Non tamen instrumentis noviter repertis l. 16. l. 19. C. eod. quibus tamen detegitur error.

III. Antilogi sunt, qui actionis dominium statuunt, ceu statuunt prope omnes, quippe, si hoc daretur, cessionarius non procurator; sed dominus efficeretur: quantum enim tribuit traditio cum causa justa in corporalibus, tantum tribuit cessio cum causa justa in incorporeis *tot. tit. ff. de hered. et act. vend.* nec est, qui dissentiat. Sed cur posterius non?

IV. Quis casus pro conditione ad supplementum legitimæ v. g. in filio suo? Vel enim in testamento, in quo ipsi minus legitimâ v. g. fundus Tusculanus, aut 1000. fl. titulo institutionis, uti oportet, *Nov. 115.* relictus, præter illum hæres institutus est: vel non? Si *primum*: filius, quâ nudè legatarius, l. 13. C. de hered. instit. Hopp. pag. 399. erit præteritus, juxta modo alleg. *Nov.* proinde non hanc conditionem; sed querelam nullitatis habebit. Si verò *posterius*: erit hæres ex asse. l. 1. §. 4. & l. 9. §. 13. ff. de hered. instit. Hopp. *all. loc.*

V. Conductus ususfructus à proprietario morte conductoris extinguì dicitur in l. si domina 10. C. de Usufr. Quod paradoxum est.

VI. Fundus dotalis præscribi potest stante matrimonio, si ante hoc initum cœpta fuerit præscriptio. l. si fundus 16. ff. de fund. dotal. l. 30. C. de jure dot. Hopp. pag. 518. Zoël. ad tit. de Usurpat. n. 35. Contra quam dispositionem hic opponi potest: Stante matrimonio non inchoatur præscriptio fundi dotalis, juxta dicta. Si verò cœpta fuerit, ante matrimonium, non erit adedò vecors maritus, ut, v. g. fundi Tusculani sibi in dorem assignati, ab alio tamen possessi & præscribi cœpti non interrumpat præscriptionem: Casus ergo erit metaphysicus pro præscriptione fundi Tusculani, maximè cum si pauci dies ad perficiendam præscriptionem superfuerint, non nocbit marito. d. l. 16.

VII. Quomodo titulus pro hærede inter titulos præscriptionis poni potuit? *tit. ff. & C. pro hered.* Vel enim hæres ope hujus tituli præscribere intendit contra verum hæredem: vel rem in hæreditate inventam contra verum dominum? Si *primum*: titulus hic frustraneus est, siquidem ad præscriptionem 30. annorum, quousque durat hæreditatis petitio, non opus est titulo, sicut regulariter ad nullam longissimi temporis præscriptionem titulus requiritur. l. 8. §. 1. C. de præscript. 30. ann. Legistæ omnes, nisi peregrini in jure, uti & Canonistæ vid. P. König. b. tit. N. 33. Si *posterius*: tunc vel habuit defunctus titulum, vel non?



non? Si *primum*: itidem otiosus est titulus pro hærede, quia hæres hoc casu utitur accessione temporis à defuncto cepti & continuati. §. *durina. 7. Inst. de usucap.* Si *posterius*? succedit hæres in vitium defuncti. *l. fin. C. commun. de usucap.*

VIII. Fundata est distinctio inter judicem, cui universitas causarum est commissâ (quem unice *mandatarium* communiter sed perpetuam vocant. v. STRICT. nræ in *Compend. Lauterb. pag. 62. König. ad tit. de offic. & pot. judic. delegat. §. 3.*) & eum, cui jurisdictio ad unam alteramve causam concessa, quia ab hoc appellatur ad delegantem, c. 27. §. *porro eod. c. 7. eod. in 6. l. un. C. qui pro sua jurisd. ab illo verò*, cui jurisdictio delegata ad universitatem causarum, non appellatur delegans sed delegantis superior. *l. 1. §. 1. ff. quis, & à quo appell.* Sed quis casus pro hoc iudice, quem *mandatarium* vocant, de Jure Civili? quis de J. Can.? Si dicas ad 1. eum in Legato Proconsulis inveniri. per *l. 13. de off. procons. falleris*: quia jurisditione poller ordinaria. *l. 2. in fin. ff. quis & à quo appell. Zoëf. de jurisd. n. 48.* Si respondeas ad 2. in Vicario generali: ut vult Gothofr. *all. à Zoëf. ad tit. de off. vicarii. toto cœlo aberras*: hic namque itidem jurisditionem habet ordinariam. c. 2. *de consuet. in 6. König. de off. vicar. n. 19. & Canon. uno ore.*

IX. Reo spoliatore per interdictum *unde vi* victo superesse petitorium, admittunt omnes. Sed cum hic per actum spoliî dominium aliudve omne *ius in tali re* amiserit. *l. si quis in tantam. C. unde vi. §. 1. vers. quod non solum. Inst. de vi honor. rapt.* quæ J. Civilis dispositio differtè repetita & quasi canonizata est in Ordin. Camer. Wormat. *de anno 1521. Rubric. Wie es in Irung der Possession. §. 2. ibi: soll der Entseher dardurch das Eigenthum verlohren haben.* add. *Mev. p. 1. Dec. 95.* Quomodo igitur tali spoliatori superesse poterit *petitorium*, quod *line jure in re* chymera est. R. I. Ratisbon. *de anno 1532. Rubric. Cammer. Gerichte betreffend. §. 15. ibi: soll es bey solcher Wormätscher Ordnung bleiben*, quæ expressè confirmatur ista Imperii Sanctio.

X. Communis est sententia, quasi possessori servitutis seu in ejusdem licet quieto exercitio constituto incumbere probationem tituli. *Lauterb. ad tit. si servit. vind. Hopp. pag. 817.* Si hoc verum est, non habebit locum in materia servitutum *interdictum*, quod beneficium est possessoris, quo sic liberetur ab onere probandi, & quod præcise *ex jure possessionis* competit. per *notoria. v. Hopp. pag. 818. vers. quia longe.*

XI. Communis itidem & verissima videtur sententia, quod hæres possessoris seu defuncti, qui in mala fide fuit constitutus, *longissimi*

temporis præscriptionem à se inchoare & complere possit. Ex ratio-  
ne solida: quod talis hæres *ordinario* tempore præscribere nequeat, sit  
ob fictionem, seu dispositionem juris, qua fingitur hæres esse in ea-  
dem mala fide, in qua defunctus fuit. l. 11. ff. de *divers. & temp. præter.*  
Sed omne jus lapsu 30. vel 40. ann. lapsu perimitur. l. 3. § 4. C. de præ-  
script. 30. ann. Neque ad talem præscriptionem titulus ullus requiri-  
tur, ceu dictum supra *Ænigm. VII.* Hopp. p. 324. in fin. E. Verùm  
ineluctabiliter obstat c. fin. X. de sepult. c. 5. X. de raptor. vi quorum hæ-  
res exonerare debet conscientiam defuncti, proinde illi nihil prodesse  
poterit præscriptio. V. omn. Klock. tom. 2. Conf. 41. n. 220.

XII. Si non est plus in legato debiti, ac fuerat in ipso debito, le-  
gatum nullum est. §. 14. *Inst. de legat.* Atqui in legato debiti semper  
est plus, quia 1. actio pro legato, est bonæ fidei. 2. Habet adjunctam  
actionem hypothecariam. l. 1. C. *commun. de legat.* Hopp. 449. 3. Po-  
test pro eo competere Remed. l. fin. C. de edict. D. H. toll. quæ singula  
commoda aut raro aut nunquam in actione pro debito deprehendentur.

XIII. Certum est de jure, vid. Hopp. p. 462. ad §. 15. *Inst. de  
legat.* inter commoda prælegatæ dotis referri, quod tale legatum non  
sit subjectum falcidiæ, quia suam recipiat uxor. l. 81. §. 1. de dot. præleg.  
Sed vel allata est dos, vel non? Si allata dos in Domitianismum inci-  
dit hæc DD. afferrio: est quippe tunc strictum debitum, quod lega-  
tum, non esse obnoxium falcidiæ, plusquam tralatitium est. Si non  
est allata? falsa est ratio in d. l. 81. in verb. quia suam rem mulier recipiat.

XIV. Porro inter commoda prælegatæ dotis refertur, quod  
uxori legatarie non possit à liberis opponi beneficium competentie.  
Hopp. d. l. Verùm vel liberi fiunt inopes extradendo integram do-  
tem, vel non? Si *primum*: Mater illos tenetur alere, & sic, quod tuta  
sit contra beneficium competentie, illi nihil proderit. Si *posterius*, h. e.  
si extradendo integram dotem, adhuc habeant, unde vivant, absque hoc  
cessabit benef. competentie, per ejusd. definitionem. vid. Hopp. p. 890.

XV. Mandatum inter contractus consensuales ponitur à Juris no-  
stri Authoribus. Verùm obstat: In quo contractu *solus* consensus non  
ponit obligationem & actionem, necessitatèmq; implendi, non est  
consensualis: *Textx. & DD. ad tit. Inst. quib. mod. re contr. obl. & de obligat.  
que ex cons.* Hopp. p. 575. vers. 1. Neque est, qui contradicat. Atqui  
in mandato solus consensus non ponit obligationem & actionem, quia  
& mandans & mandatarius *re integra* pro lubitu recedere possunt. *Comp.  
Lauterb. pag. 290. ibi: mandantis revocatione. & paulo post: modo res  
adbus*

adhuc sit integra. & porro *ibid.* *mandatarii renunciatione*, modo fiat *temporivè*. h. e. re adhuc integra. vid. *omn. l. 8. §. 6. h. t.* quod secus est in contractu *consensuali*. v. g. emptione-venditione, ubi licet res adhuc sit integra, imò licet v. g. emptoris non interfit, sibi rem tradi, tamen ob jus ex consensu mutuo quaesitum ad traditionem agere potest, imò et si ad interesse praestandum se offerret venditor, tamen se à præcisa traditione liberare haud posset vid. Hopp. ad *tit. Inst. de empt. vend. pag. 678.* Patet ulterius in contractibus innominatis, qui ideo omnes *reales* sunt, quia *re adhuc integra*, ubi nimir. datio vel factum adhuc non intercessit, non nisi nuda pacta sunt, nullam de jure Romano actionem producentia. vid. Hopp. *pag. 583.* ibique jura alleg. ibi: *unde fuit, quod omnes contractus innominati sunt reales; non enim solo consensu perficiuntur, sed præterea ad illorum perfectionem requiritur, ut datio vel factum accedat.* Ergo pari modo contractus mandati, *realis erit*, quia &c. quod miramur dubium à nemine, quantum equidem scimus, mortuum fuisse.

XVI. Non absimile est aliud dubium circa *Commodatum*. Nimir. Locatio conductio consensu perficitur: *tot. tit. Inst. de locat. E.* & *commodatum*: est enim uterque juris Gentium, nec apparet ratio, quare promissio usus *pro mercede* negotium perficiat; & non item promissio usus *gratuita*. arg. stipulationis, quæ sive titulo oneroso inearit, sive gratuito, semper contractus consensualis est, observata tamen verborum solennitate. Deinde promissio usus *gratuita*, erit donatio, proinde solo consensu posita obligatoria & efficax. §. 2. *Inst. de donat.* vers. *necessitatem traditionis*. Neque enim quis eò aberrabit, ut *usum*, aliudque qualecunque nobis commodum, live in re corporali sive incorporali consistat, objectum donationis esse posse, eat inficias, contra *l. 9. §. ff. de donat.* in verb. *si fructus perceptionem tibi donem*. Ecce donatio usus. Si ergo usus *titulo gratuito* promitti possit, non apparet, quid differat hæc præmissio, à commodato solo consensu contracto: neque porro dubium est, quin *fundus* commodato dari possit, quidni & ejusdem usus *nudo consensu efficaciter* promitti.

XVII. Constat, hypothecariæ actioni, cum debitor vel ejus hæres fundum hypothecarum possidet, concurrentibus nimir. debitis requisitis, præscribi 40. annis *l. 7. §. 1. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* actionem vero personalem tricennali præscriptione perimi. *Sed quomodo, extinctâ personali principali actione, subsistit hypothecaria?* Respondet Brunnem. ad *d. l. 7. n. 7. Personalem actionem non esse extinctam ipso jure,*

jure, sed per exceptionem: vel potius sublatum fuisse vinculum juris civilis, quod erat in personali obligatione, sed mansisse vinculum obligationis naturalis, cui accedere potest hypotheca. & n. 8. pergit: Ex hoc textu colligunt DD. uti & ex l. 2. C. de hinc pign. hypothecariam actionem, licet à principio sine personali esse non possit, tamen durare posse sine ea, si semel adfuit. Bart. in l. fidejussor. pr. ff. de fidejuss. Alfortin. Conf. v. d. q. Licet enim à principio non possit constitui hypotheca sine principali obligatione, postquam tamen semel constituta est, à principali obligatione separari potest. allegat. mult. AA. Idem tenet Esbach ad Carpz. p. 2. C. 1. D. 5. Perez ad C. ad C. ad tit. de prescri. 30. vel 40. ann. Negulant. de pign. p. 6. m. 2. n. 5. & nescio, quis non.

Verum an cuiquam ex Justinianeis novis, nedum famosis isti Jurisconsultis vel per somnium incedere potuit hæc sententia? Negant omnes, accidentià absoluta naturaliter dari posse, hic verò ajunt. Quomodo, per superos rogo, extincta obligatione principali, & quidem ipso jure, arg. l. 20. ff. de pact. & tot. tit. ff. & C. ibique DD. de prescri. & ad tit. de solut. accessorium quid in securitatem talis obligationis extinctæ & sic in rerum natura non amplius existentis, durare & subsistere potest? & cui bono actio hæc adhuc decennio durabit? Consortium litis hi AA. hoc in passu contrahunt cum venditore Afini, apud Demostenem, qui se non simul umbram ejusdem vendidisse, judicio contendit. Quæ ergo solutio?

XVIII. Filius propter delationem parentis, non aliter exheredari potest, quam si simul per illam grave damnum patri intulerit. Nov. 115. Hopp. p. 391. ibi: non ergo sufficit sola delatio. & est juris explorati, juxta omnes. Obstat: per pudam delationem criminis, v. g. adulterii, filius parentem afficit atroci injuria l. 2. l. 18. ff. de jure fisci. ubi idèò specialiter prohibentur liberi deferre parentes, liberi paternos, &c. Peregr. de jur. fisci. l. 2. tit. 1. n. 2. unde te non extricaveris, si dicas, delationem sine damno idèò impunem fore, quia Reip. interest, delicta manifestari &c. Respondeo, cur ergo sunt prohibiti deferre? Quodsi vero tale crimen fuerit, quod ad eversionem Reip. tendit, impunis est æquè delatio etiam cum damno, ac est accusatio. vid. Hopp. ibid. Deinde sequeretur, filium ex delatione falsa, ex qua nullum damnum inferri contingeret parenti, potius lucrum & impunitatem ferre, quam ex delatione criminis verè commissi, cujus ex post convincitur parens, & damnum famæ vel corporis patitur.

XIX. Vi pr. *Inst. de auct. tut.* junctâ l. *Julianus* 13. §. 29. ff. de act. empt. auctoritas tutoris ex intervallo accedens ratificat ac confirmat contractum à pupillo initum. Econtra §. 2. *Inst. cod.* dicitur: post tempus verò interposita auctoritas nihil agit. Neque dicas: in priori casu contractus pupilli est in suspenso & accedente auctoritate tutoris inchoatur seu de novo ponitur. Resp. cur hoc non etiam in posteriori casu? Et si ita: qui dici potest, nihil agi. Deinde si in priori casu contractus pupilli foret non-ens, extraneus eo non obligaretur ante accessum auctoritatis tutoris: qui tamen verè obligatur.

XX. Expediti juris est; & in confesso apud omnes Regulam: plurima vota concludunt: seu quod sit à majori parte, &c. in l. *Quod major.* 19. ff. ad municipal. obtinere tunc, quando negotium commune est pluribus ut universis. v. g. in electione praelati, &c. c. 57. X. de elect. l. 3. ff. de decret. ab ord. fac. Alteram verò Regulam: quod omnes tangit, ab omnibus & singulis debet approbari. in c. 29. de R. l. in 6. locum habere tunc, quando negotium commune est pluribus, ut singulis, quo casu plurima vota nihil concludunt, neque dissentienti præjudicant, l. 11. ff. de S. R. P. l. fin. in f. ff. de auct. præst. Sed quomodo concordat, quod habetur in §. 1. *Inst. de satisd. tutor.* vers. quem major pars elegerit, scil. ut admittret tutelam? hinc namque exemplum occurrit pro regula secundo loco posita. Quodsi enim ille administrator à majori parte electus malè administrat, quin sit solvendo, hoc alios tutores honorarios onerabit. l. tres tutores. 55. ff. de administrat. tut. arg. l. 1. §. 11. de tut. & rat. distrab. l. 5. C. arbit. tut. nec poterit inter casum hunc, & casum l. fin. C. de administr. tut. (ubi nimir. si pupillus in arrogationem dandus, singuli consentire debent. Hopp. pag. 176. quia si damnosa fuerit pupillo arrogatio, hoc omnes gravabit) ulla dari disparitatis ratio.

XXI. Juris nostri explorati est, sufficere ad aptam Libelli conceptionem, ut inrentatâ actione reali in eo causa proxima, v. g. in rei-vindicatione dominium exprimat. adduntque omnes, vid. Stryck. ad Compend. Laureb. rit. de edend. verb. causam proximam. Struv. & Müller ad eund. rit. lit. B. per ll. alleg. utile tamen esse (E. non necessarium) interdum etiam remotam adjicere, quia si succumbam, nulla mihi ex alia causa vindicandi facultas remanet, &c. Stryck. d. l. & sic uno ore omnes. Sed an non est ridiculus ille libellus? An non & adhuc magis ridiculi hi modo intimari DD. omnes, qui totam instantiam sine expressione cause remotæ expediri ac sententiâ definitivâ finiri posse supponunt? quomodo probatio dominii, uti hoc rei-vindicationis indi-

spensabile requisitum est. *l. 9. l. fin. ff. de rei vind.* assumi absolvi que poterit, absque mentione causæ remotæ seu tituli, undenam se dominum prærendit Actor? add. Libellus in act. hypothecæ v. g. peto mihi declarari jus hypothecæ in fundo Tusculano, &c. quin necessum sit exprimere, unde mihi hypotheca competat. *Quorsum hæc, & quas robusti carminis offas ingeris?* Pers. Ut huic cæco DD. asserto planè conveniat illud apud Zoëf. ad *tit. de lib. & postb. in fin.* Estque hoc vitium non infrequens multis, ut non perferunt fundamenta sententiæ aliquorum, eam calculo suo confirmant, more avium aut ovium, quæ volarum aut cursum præcedentium sequuntur. Sed quid responderetur ad textus hanc in rem disertos?

XXII. Regula: *Casum fortuitum in nullo negotio præstandum esse, l. 23. de R. 7.* limitatur in *l. 11. §. 1. ff. locati. l. 5. §. 4. & 7. ff. commodati.* & alibi pluries, nisi culpa, quæ scilicet aliàs præstanda erat in contractu, præcesserit casum. Hopp. p. 591. *in fin.* Sed, superi boni? an hæc est limitatio? An interitus v. g. mors equi venditi culpa latè causata, casui fortuito accensenda? an hoc damnum culpâ obligatoria datum, casus dici potest?

XXIII. Pactum adjectum precario, de non revocando ante certum tempus, vitiat. *l. 12. p. de precario.* Obstat: Pactum contra substantiam negotii adjectum, illud in aliam speciem transmutat, si hoc fieri possit. Per notoria jura, Exempl. in deposito, si ejusdem usus concedatur. vid. text. & DD. ad *tit. de deposito.* Disput. *nra supra Analysis. 2.* Sed pactum hoc est contra substantiam precarii, potestque hoc degenerare in commodatum. E. Deinde ex eodem principio nemo negabit, *commodatum* per pactum in continenti adjectum, ut sit ad nutum concedentis revocabile, transmutari in precarium: E. & vice versa.

XXIV. Possessio civilis tantum, revera figmentum est; vid. Zoëf. ad *tit. de acq. vel omit. poss. n. 7.* Sed an talis non invenitur circa fundum dorialem, quem mulier *naturaliter*; maritus verò *civiliter* possidet. vid. *Comp. Lauterb. p. 571. vers. prohibentur.*

XXV. Magister navis & Institor veri procuratores sunt. instruetique mandatis, seu formâ præpositionis *l. 1. §. 7. & l. 12. ff. de exercit. act.* quam prætergressus magister aut Institor præponentes æque parum, ac mandatarius, mandatum prætergressus mandantem obligant. *l. 1. §. 12. ff. eod.* Cui bono igitur actiones exercit. & Institoria?

XXVI. Deportatus non amittit habitationem. *l. 10. pr. ff. de us. & habit.* Sed quomodo, cum civitatem omittat deportatus & in insulam depor-

deportetur, §. 2. *Inst. de cap. diminut.* §. 1. *Inst. quid. mod. jus patr. pot. retinere poterit habitationem?*

XXVII. Quis casus §. 21. *Inst. de ver. div.* in verb. *quod si vis fluminis de tuo prædio partem aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit, palmam est, eam tuam manere.* Quomodo enim pars prædii per vim fluminis detrahi & vicini prædio agglutinari poterit? sanè non nisi extrema gleba detrahi & ad vicini prædium devolvi poterit: & quomodo ista gleba detracta prioris domini manere dici valet, ac proinde vindicari, cum, quod designari individualiter non potest, vindicari nequeat. *l. 6. pr. ff. de R. V.*

XXVIII. Permutationem ideo omnes dicunt non esse contractum nominatum, quod non habeat *speciale nomen*; Atqui eum habere speciale nomen, palmare est. Neque *dicas*: etiam emptionis venditio quædam permutatio est, mercis nimir. & pretii. Item de locatione conductione esto iudicium. *Resp.* enim ad utrumque negando: quia ad valorem emptionis consummatae *traditio* solum requiritur, ac proinde *res aliena* ejusdem objectum esse potest *l. 22. ff. de contrab. empr. l. 11. §. 8. l. 30. §. 1. de act. empr.* quod fecus est in permutatione *l. 1. §. 3. ff. de ver. permut.* ibique *Comp. Lauterb. p. 396.* neque enim differt ab articulo, *ut des. Colleg. nr. Pol. Controv. 74.* Unde & consequitur, permutationem usus cum mercede, nullatenus permutationem dici posse, cum ex una parte non sit *datio* sed concessio usus, quod factum est, ac proinde ad summum cum articulo, *ut facias.* similitudinem haberet.

XXIX. §. 3. *de verb. oblig.* dicitur stipulatione: *decem aureos annuos, quoad vivam, dare spondes?* etiam hæredibus actio quaeri. ex adjuncta ratione: *quia ad tempus non potest deberi.* Atqui hæc ratio falsa est, ceu patet ex omnibus conventionibus, veluti commodato, deposito, locat. conduct. &c.


*Quis Juris nodos & Legum Ænigmata solvet? Mart.*

FINIS.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint text at the bottom of the page, possibly a signature or date.





ULB Halle  
006 398 766

3



Vd18







*Joannis Philippi Hahn*

JOANNIS PHILIPPI HAHN, Jcti, <sup>669</sup> <sub>2</sub> <sup>1747.1.11</sup>  
VARIOR. ELECT. AC PRINC. IMPER. CONSILIARII AULICI,  
PROFESSORIS, ET COMITIS PALATINI CÆSAREI

DISPUTATIO JURIDICA  
AD  
LEGES  
DAMNATAS,

CUM INTERMIXTA  
CENTURIA PROBLEMATUM  
EX OMNI, QUOD PRŌDITUM EST,  
JURE, NATURÆ SCIL. ET GENTIUM, POLITICO,  
CANONICO, CIVILI, PUBLICO, FEUDALI,  
CRIMINALI, ET CAMERALI.

AB EODEM DIE XV. JANUAR. ANN. MDCCXVII. MOGUNTIAE  
PRO GRADU LICENTIÆ  
PUBLICE HABITA,  
OB EJUSDEM RARITATEM ET MULTORUM  
PETITIONEM DENUO TYPIS  
VULGATA,  
CUM SUBJUNCTA ÆNIGMATUM JURIDICORUM MANTISSA.  
M DCC XLVIII.

MOGUNTIAE,  
EX TYPOGRAPH. ELECTOR. AULIC. ACADEM. PRIVIL. APUD  
JOANNEM HÆFFNER.